

703802

90

Hic liber est meus

EDMUNDI
CAMPIANI,

Societatis JESU Theologi,
qui pro Catholica Religione
Martyrium in Anglia subiit, oblatus
certaminis in causa Fidei

RATIONES DECEM
reddite Academicis Angliæ.

I. Petri 3.

Parati semper ad satisfactionem, omni po-
scenti vos Rationem, de ea quæ in vobis
est spe & fide.

HONORI

*Admodum Reverendorum, Spe-
tabilium ac Magnificorum, Nobilium,
Excellentium, ac Doctissimorum
Dominorum SS. Theologiæ*

NEO-BACCALAURO RUM

Cum in Alma Archi-Episcopali Uni-
versitate Tyrnaviensi.

Sch. omni PROMOTORE *Præf.*

R. P. GABRIELE KAPI, S. Soc. JESU,

SS. Theologiæ Doctore, ejusdemque


17 Professore Ordinario. 42.

primâ Theologicâ laureâ decorarentur.

A Condiscipulis Theologiæ Tyrnaviensis
Auditoribus dedicata.

Tyrnaviz, Typis Academicis, 1700.





Admodum Reverendi,
Spectabiles, Magnifici, Nobiles,
Excellentes ac Doctissimi
Domini,
NEO-BACCALAUREI.

Theologis Theologum, SS.
Theologiae Baccalaureis eadem
sacra laurea insignitum, ad
Verbum Dei seminandum vo-
catis Oratorem Christianum facundissimum,
ovili Christi à lupis haereticis tuendo conse-
cratis illius Defensorem fortissimum; Sacer-
dotibus Altissimi, eum, qui cum Hostiam
illam Divinam incruentam Deo aliquot an-
nos quotidie, demum se quoque cruentam
semel representavit: pro Deo & Ecclesia e-
jus multa olim acturis & passuris, Operari-
um & Athletam in Vineâ & Agone hoc
exercitatissimum; testimonium JESU Chri-
sti non erubescens, Martyrem invictis-
simum: vobis EDMUNDUM CAMPIA-
NUM offerimus. Neque enim reperire po-

PRÆFATIO.

tuimus Exemplum, quod, sive muneri vestro quod sustinetis, sive spei quam de vobis concepimus accommodatius, proponi posse putaremus. Atque EDMUNDUM CAMPIANUM, quisnam & quantus is fuerit; quibusnam in rebus referri imaginem ejus à vobis cuperemus; non melius, quam in hoc libello, exhibendum putavimus: in quo se ille totum ita expressit; ut nullum Apelles nobilius. Vultis videre, quid sit Theologum esse; quantam omnigenarum rerum, cum profanarum, tum vel maximè sacrarum, scientia illa sanctissima cognitionem exigat; ac si gladius hic armorum omnium humanorum princeps, dexteram sibi parem inveniat, quosnam edat ictus? ex isto libello discite. Intelligere cupitis vim & majestatem eloquentiæ sacræ: sique Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus nostris obtigissent temporibus; quas faces, quæ fulmina verborum, in fidei & pietatis divinæ hostes vibrassent? in hoc libello legite. Avetis scire, pectus aliquod Spiritus sancti musto ebrium, JESU Christi amore & ovicularum hujus ab errore abducendarum desiderio ardens, quæ eructet incendia? qualia sint Sacerdotis labia custodientia scientiam, ex cujus ore legem requirent, quia Angelus Domini

PRÆFATIO.

exercituum est? hic vos libellus docebit. Vultis demum nosse, quàm nihil sit veritate, nihil causâ equâ fortius, nihil Ecclesie Catholicae & Romanae defensore potentius; siquidem is qui esse debeat sit: quàm vere promissum nobis, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: denique quales non antea tantùm, sed novissimis etiam temporibus, testes Christus & illius Ecclesia habuerit, viros potentes opere & sermone? hæc omnia ex libelli huius lectione intelligetis. Itaque quid vobis convenientius? quid ad ea sancta studia, ad quæ cursu incitato contenditis, si opus foret, exstimulandis aptius? quid Theologia nostra **DECEMVIRIS Doctissimis, Theologicis his DECEM RATIONIBUS Sapientissimis honestius, afferre potuimus? Rationem fidei & spei quæ in nobis est dare, Theologi est: dedit CAMPIANUS decem: quæ etsi sufficerent singule, omnes tamen simul junctæ cogunt mirabiliter hominem, mentis compotem, ista attendentem; ut si prudens salvusque esse velit, ita credat & speret, quemadmodum una sancta Catholica Apostolica Ecclesia, Romana nos docet. Nihil non rectè & ratione gerere nos Deus immortalis, luminis huius in nobis sator voluit: quis credat, ut reus omnium in**

PRÆFATIO

uita hac maximam & in se obscurissimam, sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium, cæcè & absque rationis clarissima manu ductione suscipi à nobis desideraverit? Lucem igitur huic caligini affuderit maximam, necesse est. Eam in his illius radijs decem, Angliæ suæ, atq; inde orbi terrarum Christiano, summus hic Theologus representavit. Amentissimus mortaliū est, qui hæc legens & intelligens, id est, hoc lumen intuens, quærat porro ex tot ætate nostrâ differentibus in Rep. Christiana de fide & religione sententijs, cui nam, ne pereat, adhaerendum sit: qui solem in cluro meridie aspiciens, à reliquis phænomenis, ab ignibus eum fatuis non facillimè distinguat. Vos Domini Nro. Baccalaurei Theologi, Rationes has, eo quo scriptæ, quo vobis dicatæ animo, id est benevolo, catholice & Romane fidei in Vestris, & per Vos sexcentorum aliorum pectoribus firmissimè desigenda cupidissimo, accipite; iisq; ita utimini, ut voto nostro deesse ipsi videri non possitis: quod est, Pannoniæ nostræ, temporibus nostris, Theologiæ nostræ, EDMUNDOS CAMPANOS à DEO Optimo Maximo precari.

Vobis Addictissimi
 Condiscipuli, Tyrnav. Theol.

NOMINA DOMINORUM
NEO-BACCALAUREORUM
ORDINE ALPHABETICO.

Reverendus, Nobilis, Excellens, ac Doctissimus Dominus Andreas Ludovicus Valko, SS. Theologiæ in quartum annum Auditor, Collegij Generalis Cleri Regni Ungariæ Alumnus, Presbyter.

Reverendus, Nobilis, Excellens, ac Doctissimus Dominus Casparus Bardi, SS. Theologiæ in quartum annum Auditor, Collegij Gen. Cleri Reg. Ung. Alum. Presbyter.

Reverendus, Nobilis, Excellens ac Doctissimus Dominus Franciscus Tarnoczi, SS. Theologiæ in tertium annum Auditor, Collegij Gen. Cleri Reg. Ung. Alum. Presbyter.

Reverendus, Nobilis, Excellens ac Doctissimus Dominus Georgius Balogh, SS. Theologiæ in quartum annum Auditor, Collegij Gen. Cleri Reg. Ung. Alum. Presbyter.

Reverendus, Nobilis, Excellens, ac Doctissimus Dominus Georgius Ciernák, SS. Theologiæ in tertium annum Auditor, S. Stephani Regis Ungariæ Alumnus.

Reve-


Reverendus, Nobilis, Excellens, ac Doctif-
simus Dominus Georgius Zimán, SS.
Theologiæ in tertium annum Audi-
tor, Seminarij S. Stephani Regis Ung.
Alumnus.

Reverendus, Nobilis, Excellens, ac Doctif-
simus Dominus Joannes Giöri, SS.
Theologiæ in quartum annum Audi-
tor, Collegij Gen. Cleri Reg. Ung. A-
lumnus Presbyter.

Reverendus, Nobilis, Excellens, ac Doctif-
simus Dominus Joannes Josephus
Vozgrzilik, Moravus Klobucensis, SS.
Theologiæ in tertium annum Audi-
tor.

Reverendus, Nobilis, Excellens, ac Doctif-
simus Dominus, Joannes Zorger, SS.
Theologiæ in tertium annum Audi-
tor, Collegij Gen. Cleri Reg. Ung. A-
lumnus, Presb.

Admodum Reverendus, Spectabilis, ac
Magnificus Dominus, L. B. Ladislaus
Josephus Révai de Réva, Ecclesiæ Jo-
kenfis & Nagy-Fedémesiensis Paro-
chus.





Lectori Bene- volo S.



Occasionem, vel
potius necessita-
tem opusculum
hoc scribendi,
quàm insignem
Campianus habuerit; atque ar-
gumentum omne scriptionis,
ex ejusdem præfatione, ac
duabus quas præmittimus epi-
stolis, lector optime luculentè
intelliges: placuit tamen ali-

A

qua

qua hîc breviter, in libelli hujus tum commendationem, tum clariorem explicationem adnotâsse. Vix alibi Hæresis temporibus nostris, sive viribus externis, sive virorum ingenio & doctrina præstantium patrocínio, tantùm dominata est, quantùm in Anglia: cujus tamen & vis pudore confusa, novis Ecclesiam Catholicam Martyribus, ac luminibus singularibus illustravit; tantùm abest, ut ei quicquam nocere potuerit: & ubertati ingeniorum, viri ut alios taceam, ex Anglia ipsa, acutissimi & eruditissimi, avitæ fidei studiosi, se tam fortiter opposuerunt; ut causâ cecidisse Hæresim, vel ipsi

illius

illius Patroni re verâ confiteantur; dum vel tacent, vel quod silentio pejus, ea respondent, quæ nihil sunt, causam non attingunt, non juvant. Ne plures proferam, Edmundus Campianus, & martyrij gloriâ, & eruditionis laude, Religionis catholicæ in Anglia sydus hæc ætatibus nulli secundum, hoc exiguo libello ora omnibus, qui Ecclesiam oblatrant hæreticis penitus occlusit. An in tanto compendio, aliquid hoc in genere gravius, copiosius, eloquentius fuerit unquam exaratum, haud facile affirmârim. A puero Campianus artibus optimis excultus, doctrinæ & eloquentiæ, potissimum Tul-

lianæ famâ ubiq; celebratus; demonstrandæ huic, campum sibi optare non potuisset honestiorem. Scriptâ ad Reginæ Consiliarios, Regni moderatores epistolâ, ne Catholici cum tanta injuria inauditi vincerentur, plecterentur, jugularentur; de Religione differendi facultatem suppliciter expetierat: Ministros hæreticos sive omnes, sive quisquis eorum congregari vellet, provocaverat; eò tibi gratius fore certamen, quò melius instructi accesserint, bonâ fide protestatus: disputationis testes, utriusque Academiæ Anglicanæ, Oxoniensis & Cantabrigiæ, viros literatissimos, SS. Theologiæ

Professores, juris utriusq; sive
Canonici sive Civilis peritos
depoposcerat: ac si ipsa quo-
que Serenissima Regina Elisa-
betha adesse dignaretur; eâ
præsente, ac pro eximia sua
prudencia rem judicante, Ca-
tholicæ fidei veritatem diluci-
dè se omnibus ostensurum pol-
licitus. Scriptum hoc sincero,
& Catholico animo editum,
ac priusquam author vellet, a-
pud omnes vulgatum, non ei
disputandi copiam sed invidi-
am majorem creavit; vincula
& mortem festinavit. Episto-
læ mox bini hæreticorum, quo-
rum alteri Chammero, alteri
Charco nomen, respondent;
uterq; more suo, otiosè omnia,

ad rem nihil. Interea pro suggestu clamant, se quidem cupere; Reginam nolle rebus jam constitutis, amplius disputare: criminantur invidiosissime hominem, quòd unus cunctis in hoc religionis negotio certamen obtulisset. Ille videns equuleos, non argumenta parari; ne cui forte superbus & arrogans, illâ suâ provocazione, jure videri posset; necessarium duxit, priusquam caperetur, hoc se opusculo purgare: decem in eo rationes afferens fidentiae illius, quâ neminem adversariorum, néque omnes simul extimescere posset: non quòd sibi aliquid tribueret; sed quòd causa quam defende-

ret,

ret, tam æqua, certa & liquida, ut vel mediocri patrono invicta foret. Ergo eloquentiâ tantâ, quantâ ille non credo unquam antea, sed nec ita multi fortasse extra eum locuti; prosequitur rationes sive argumenta & firmamenta decem; quibus Religionis Catholicæ veritas innixa, hæreses omnes, potissimùmque has postremas, Luthero Patre illustres proculcat. Audire differentem noluerunt: audiant nolint velint, eadem quæ ibi dixisset abditus; nunc in luce orbis terrarum, voce in perpetuum exaudiendâ, ad gloriam Ecclesiæ Catholicæ, ignominiam hæreseos sempiter-

nam detonantem. Verba hæc
ejus ad Christianam & Rempu-
blicam literariam, erant, quod
scimus, ultima; quæ paulò post
sanguine ac morte sua, Martyr
inclytus confirmavit, & ut ita
dicã canonizavit: erant in me-
dia Anglia conscripta; typisq;, ,
cùm in angulis pene omnibus
Catholici, tum homines tum
libri, quærentur & caperen-
tur, edita: doctissimis Acade-
micis Anglis, Oxonij & Can-
tabrigiæ florentibus dicata:
non alio hæreticorum respon-
so, quàm strepitu verborum
inanissimorum excepta: ex
quibus id unum discas; hostes
dejectos esse, quod dicerent
non habere, non mutos, sed

qui-

quibus proderentur, loqui. Quid vis ampliùs? nisi legeris, nunquam opes & delicias libelli mirabiles lector credideris: si legeris, ac judicare de eo poteris; hoc est, si rerum de quibus hîc agitur, ac literaturæ veræ non imperitus; denique homo naris emundæ sis: polliceor futurum, ut eum, quod paucis scriptoribus contingit, legere iterum & sæpius non fastidias: futurum, ut parum à nobis de eo dictum existimes: ut cum illo, qui in Philippum Atheis, in Antonium Romæ est inventus, si quem alium nostris in seculis, istum componas. Quanto nobilior Campiano, quàm

illis dicendi materia, causa æquior? Materiæ & causæ tantæ, oratio non impar.

Quod attinet editionem opusculi, exemplum duplex ad manum habuimus; utrumque vetus, & e primis: his inter se collatis, curavimus quàm fieri potuit diligentissimè, ut Authorem ipsum syncerissimè daremus: id tamen à nobis in libris illis, & locis Scriptorum notandis, quos copiosissimè citat, præstari ut arbitror non potuit; ob temporis librorumque inopiam, & typographorum in adnotationibus veteribus errores frequentes. Neminem interea sapientum futurum credo, qui si animadver-

tat,

tat, aliquid live ab hæreticis, live in sanctis Patribus literisque Divinis scriptum, eo loco quem indicamus, non reperi; de fide Campiani dubitet: cui authorem aut sententiam alleganti, loco & tabulis etiam non inspectis, merito credendum: quem oculatissima Anglia, hæreticorum omnium industria mendacij arguere, atque hoc illius scriptum, id quod ipforum plurimum intererat, infirmare nondum, vel verbo potuit. Tentaverat id quidem Campiano demortuo, miser Witakerus; sed quam infeliciter, Joannes Duræus Scottus, Soc. JESU, tametsi res alioquin etiam liqueret, li-

bro eleganti ostendit. Accedit, quòd hæc quæ hîc afferuntur testimonia, certa & indubitata esse, apud Bellarminum, Becanum, & alios, omnia si voles deprehendes: neque illa ab adversarijs prudentioribus, aut coram viro eruditiorere negantur.

Nunc ut ad ipsas has Decem Rationes, singulas brevissime exponendas veniam: cur hæ potissimum, non aliæ à viro sapientissimo, ac rei quam tractabat intelligentissimo delectæ, quæris? ajo eum ijs tantum usum, quibus hæretici præcipuè, & adversarij ipsius revincerentur: commemorare noluisse ea Catholicæ Eccle-

fiæ decora, quibus Gentiles, cæterosq; hostium suorum illa debellat: tametsi & ijs nihilominus hæreses quælibet convellerentur. Néque tam propositum hîc ei fuit, Ecclesiam Catholicam vindicare & extollere; quod si fuisset, unam sanctam Catholicam Apostolicam, & solam quidem esse demonstrâset: sed oppugnare adversarios, extra Ecclesiam ipsos esse, litémque quam Duce Luthero contra nos excitârunt, tam iniquam ostendere; ut temerarius & arrogans, qui unus omnibus ea in re auderet resistere, haberi minime deberet.

Ratio Prima. Sacrae literæ.
Cùm enim nullius extra Ca-

nonicos Scriptores, authoritatem recipientes Sectariorum Ministri, inter hos ipsos plurimas, si non plerasq; Scripturæ Sacræ partes in dubium vocent; diminuunt, truncent, depravent, ac foedissime tractent Divinos libros: quid clariùs, quàm quòd veritatem doceri, quòd omnem causæ suæ Judicem defugiant; & ne quidem solis Scripturis Divinis tueri se possint?

Ratio Secunda. Sacrarum literarum sententia, sive sensus. Interpretatio & sensus Scripturæ quem tradunt, nec ex textu & verbis sacris tam apertè, nedum apertiùs, quàm Catholica doctrina colligitur;

nec

nec ullo seculorum, ut illa, antecedentium, atque antiquitatis testimonio fulcitur: tamen, etsi omni, quæ unquam fuit, Christianæ doctrinæ adversetur; purum, purum Dei Verbum esse ab ipsis dicitur; quia scilicet Lutherus aut Philippus Melancthon, ita exposuit: quid tandem hoc omnis ipsorum Theologiæ fundamento levius, quid ridiculū, ac magis hæreticū esse queat?

Ratio Tertia. Natura Ecclesie. Hanc secum facientem, quænam & ubinam ante Lutherum extiterit; jam pridem quærent Ministri: quidquid dicant, & confingant; insanum est.

Ratio Quarta. Concilia. Quæ prima, media, ultima, quæcunque in Ecclesia Christiana fuerunt; nostra sunt: è Catholicis conflata; catholicam fidem explicant a.

Ratio Quinta. Patres. Omnes qui inter Christianos docti, Sapientes, ac Sancti habiti, quos Patres vocamus; nostros fuisse confiteri debent adversarij; & si qui id minùs cauti negârunt; convicti à nobis turpiter, ac reprehensi à Socijs, quòd Patrum calculo aliquid deferre voluerint.

Ratio Sexta. Firmamenta Patrum. Est hoc à priori meritò diversum argumentum. Nam etsi nulli Patrum libri exta-

rent;

rent; sed alijs tantũ authoribus, compertum nobis esset, eos in nostra Ecclesia cunctos fuisse: dubitari non posset de veritate sententiæ illius; in quam omnes veri sapientes consensissent. Nunc præterea, cùm ipsorum monumenta habeamus; & quidnam illos ad catholicam hanc fidem tenendam ac defendendam moverit, sciamus: quæ viros tantos firmarunt; sufficientia nobis firmamenta esse non poterunt? Quid quæso secuti illi, eadem nobiscũ crediderunt? Verbum Dei. Erant Patres, helluones Divinorum librorum; in ijs vitam omnem conterentes, in ijs habitantes; nôrant optimè, nihil

posse

posse fide Divinâ credi; quod Verbo Dei non esset indicatum: quid igitur hâc adversariorum oratione possit esse argumentius? nihil sibi cum Patribus; solum Dei Verbum à se audiri, & soli illi fidem haberi: id est perspectius sibi esse, quòdnam sit Dei Verbum, & quæ illius sententia; quàm Patribus omnibus.

Ratio Septima. Historia. Omnes, ipsi etiam Sectariorum Historici clamant; non aliam ante Lutherum, non aliam ætatibus omnibus prioribus, quàm nostram durâsse perpetuò Ecclesiam. Vera aliquando fuit inquis, sed apostatavit, defecit, in Anti-Christi

Eccle-

Ecclesiam mutata est. Quando? quomodo? quo authore? Nemo narrat. Tantæ rei, Religionis in orbe terrarum Christiano extinctæ, vel quod turpius in idololatriam conversæ, nullum apud ullum historicorum, vel nostrorum, vel adversariorum, extat vestigium. Christiani omnes mille ad minus annos ut dicitis, desipuerunt, perierunt; Lutherus primus, malum detexit: quis Lutherus? in cœnobio vitam religiosè, atque in studijs sacris exigens? nequaquam. At postquam spiritu superbiæ, arrogantia, inobedientiæ, carnis, libidinis tumens, impos animi, humana & Divina omnia sus

déque

déque habere cœpisset. O mortales ratione præditi! quò lumen illud ponitis, cùm istis fidem habetis?

Ratio Octava. Paradoxa. Opinionum Monstra, quæ invexerunt Sectarij, & quidem primi, ac sanctissimi, qui debent esse, illorum. Hæc vel interdum negant, quo nihil impudentius; vel quo nihil stultius, Parentes suos erubescentes, respondent: nullum sibi cum Luthero, Calvino, & similibus, sed cum Scriptura totum esse negotium; se non Lutheranos, Calvinianos, sed Evangelicos esse. Tuum mi bone, Evangelium, Scriptura tua, tui Patres, tua Concilia, ratio

omnis

omnis & Fides tua, nihil est omnino; præterquã Lutheri, Calvini, & similium commenta: si horum; fidei te tuæ pudeat.

Ratio Nona. Sophismata. Quæ tam clara & pudenda, ut nulla unquam ab orbe condito causa, exceptionibus iniquioribus à versutissimis advocatis protelata sit, & palliata.

Ratio Decima. Omne genus Testium. Quidquid enim legis, vides, audis, Luthero antiquius; testatur mille quingentis annis in Ecclesia Christiana nihil aliud fuisse: quàm vel Catholicos, quales sumus; vel à nobis varios varijs temporibus effectos hæreticos.

Ex his universis conficio, fa-

piantissimè à Campiano dictū; omnem Sectariorum sacram doctrinam, superbam esse ignorantiam: re verâ enim præterea nihil est. Sunt viri inter ipsos, non inficior, rebus in alijs eruditi, eloquentes, ingenio pol-
lent; & quidquid vis ingenij ad causam tam perditam quam habent, excogitare potuit, attulerunt. Sed nihil his omnibus potuerunt adhuc aliud declarare: quam superbiam ex una parte incredibilem; quâ volunt, ut contra omnes & contra Deum, credamus ipsis unis, & unicè quia ita dicunt: ex altera verò Scripturæ Sacræ, atq; omniū rerum Divinarum summam ignorationem; quas
nolunt

nolant viâ, quâ solâ possent, condiscere. Quare per Deum, & Filium ejus tuâ causâ in cruce mortuum; per animæ tuæ salutem, quæ unicum nostrum in hac vita debet esse negotium; oro te, quisquis hæc manibus verfas: Rationes has, accuratè, ac meditatò perlege: si Catholicus es, ut porrò sis firmior; ut forti tuæ tantò magis gratuleris; ut errantium misertus, eos juvare & erudire, obsistentes veritati profligare possis: si acatholicus es, tantò te frater in CHRISTI visceribus charissime, obtestor magis; animo tranquillo & quieto, odio omni

depo-

deposito, studio veritatis inquirendæ, hæc revolve: noli eo, quod primum tibi contrà occurrit, statim contentus esse; examina diligenter, confer inter se quæ hîc, quæ à vobis adversum hæc dici possunt: non enim, polliceor sanctè, vel hilum rationis, oppositum istis invenies. Ne metue convinci; nisi salvus esse abhorreas. **CHRISTUS** tibi, per istiusmodi voces sapientum inclamat: Saule Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Da te, non Campiano, non nobis; sed **CHRISTO JESU.**

EPI-

EPISTOLA

*EDMUNDI CAMPIANI,
Sacerdotis Soc. JESU, ad Re-
ginae Angliae Consiliarios, qua
profectionis suae in Angliam insti-
tutum declarat, & adversarios ad certa-
men provocat, ex Anglico sermone
latinè reddita.*



Quandoquidem, viri
ornatissimi, è Germa-
nia & Bohemia revo-
catus, non sine ingen-
ti vitæ meæ periculo, in hoc flo-
rentissimum Angliæ regnum, dul-
cissimam patriam meam, tandem
aliquando perveni, pro superiorum
meorum voluntate, Dei gloriam
& animarum salutem promoturus;
verisimile esse putavi, me turbu-

B

lento

lento hoc, suspicioso, ac difficilissimo tempore, siue citius, siue aliquantò tardiùs, in medio cursu abreptum iri. Quapropter ignarus, quid de me futurum sit, cum Dei permisso in carceres & vincula fortè decrudendus sim; ad omnem eventum scriptum hoc condidi: quod ut legere & ex eo causam meam cognoscere velitis, etiam atque etiam rogo; fiet enim, ut hac re non parvo labore liberemini, dum quod multis ambagibus inquirere vos audio, id totum aperta confessione liberè expromo. Atque ut rem omnem, quò meliùs & intelligi, & memoria comprehendiqueat, compendio tradam, in novem omnino capita eam dispertiar.

I. Profiteor me quamvis indignum, Ecclesiæ Catholicæ sacerdo-

tem, & jam octo abhinc annis magnâ Dei misericordiâ in Societatem nominis Jesu cooptatum, peculiare quoddam belli genus sub obedientiæ vexillo suscepisse; ac simul me omni divitiarum, honorum, & aliorum hujusmodi bonorum spe, & habendi potestate abdicasse.

2. Generalis Præpositi nostri decreto (quod ego tanquam mandatum cœlitus missum, & à Christo ipso sancitum veneror) Pragâ Romam, ubi Generalis nostri perpetua sedes est; Româ deinde in Angliam contendi; qua animi alacritate etiam in quamcunque aliam orbis terrarum partem sive ad Christianos, sive ad infideles profectus fuisset, si me ad eam profectiorem superiores mei designassent.

3. Negotium mihi commissum, tale est, ut gratis Evangelium prædicem, Sacramenta administrem, rudes in fide instituam, flagitiosos à scelere ad meliorem vitæ rationem traducam, errores convellam, & ut summam omnia complectar, pugnx spiritualis signum tuba canam, atque alacriter adversus fœda flagitia & superbam ignorationem, qua innumeri cives mei, quos intimi animi visceribus complector, oppressi jacent, depugnem.

4. Nunquam mihi animus fuit, imò & à Patribus, qui me miserunt, severè prohibitum mihi est, ut ne Reipu. ac Politicæ hujus regni administrationis negotijs me immisceam: nam & aliena hæc sunt à vocationis meæ instituto, & ab ijs

animum cogitationésque meas libenter avoco.

5. Quamobrem vestra clementia fretus, ad gloriam Dei tria non minus æqua, quàm ab omni pacis & tranquillitatis Reipub. perturbatione aliena, concedi & permitti mihi humillimè postulo. Primùm est, ut Dominationes vestræ, me pro sua & Reipubl. dignitate de religione modestè differentem, audire non graventur. Alterum, quod & cum primis desidero, & maximi momenti esse arbitror; ut mihi liceat in confessu Doctorum, Magistrorum, & utriusque Academiæ virorum insignium, Sacrosanctæ Theologiæ Professorum, verba facere. Promitto me Catholicæ Ecclesiæ fidem invictis rationibus, & sacrarum Scripturarum, Conciliorum, Patrum, atque historiarum

auctoritate, ac denique ex ipsa tum naturali, tum morali philosophia efficaciter demonstraturum & defensurum. Tertium, ut audiar ab utriusque juris sive canonici, sive civilis peritis, quibus eandem fidei veritatem, legum, quæ etiamnum vigent, & dignitatem suam retinent, testimonio atque auctoritate comprobabo.

6. Nollem equidem quicquam proferre, quod insolentem provocationem aut arrogantiam aliquam præ se ferret; cum & mundo mortuus jam sim, & ex animo paratus promptusque, ut me ad cujusvis pedes abjiciam ac vestigia etiam exosculer. Tantus tamen animus mihi est pro gloria & majestate regis mei JESU amplificanda, tanta in ejus favore fiducia, tanta denique in causæ æquitate

&

& firmissimorum argumentorum ac probationum robore confidentia (cùm certò sciam nullum Protestantium, nec omnes simul junctos, nec ullam adversariorum factionem, quantumvis imperitam multitudinem & Grammaticos quosdam adolescentulos, apud quos insigniter debacchantur, in errorem inducant, posse dogmata sua disputatione aut tueri aut probare) ut cum illis omnibus, vel cum eorum quolibet, vel cum antesignanis ex omni illorum numero delectis, ultrò me offeram congressurum; bona fide protestans eò mihi gratius fore certamen, quò meliùs instructi accesserint.

7. Et quoniam Dominus Deus Dominam meam Reginam eximiis naturæ eruditionis, ac regis educationis dotibus exornare voluit,

si sua Majestas hujusmodi auditio-
nem, qualem in quinto articulo
secundo loco efflagitavi, sua re-
gali præsentia & benigna attentio-
ne cohonestare dignaretur; spera-
rem sanè, me articulos controver-
sos optima methodo & perspicuis
argumentis ita illustrare, atque ab
omnibus fallaciarum involucris,
quibus constricti sunt, explicare
posse, ut zelo veritatis & amore,
quo sua Majestas populum com-
plectitur, non mediocriter ejus a-
nimus inclinarem, cum ad plu-
rimas res, quæ regno suo non pa-
rum detrimenti adferunt, damnan-
das & rejiciendas, tum ad nos Ca-
tholicos miserè jam diu oppressos,
majore æquitate prosequendos.

8. Neque verò dubium mihi est,
quin vos Ornatissimi Consiliarij
S. M. cum in maximi momenti ne-
gotijs

negotijs præclare ac sapienter agere soleatis, ubi has de fide controversas, quas adversarij nostri non sine furo & confusè plerunq; pertractant, bona fide detectas & furo nudatas perspexeritis, luce meridiana clariùs cognituri sitis, quàm firmis & solidis fundamentis fides Catholica nitatur. Et quia è contrario Protestantium argumenta sunt omnino frivola & infirma, quæ temporis iniquitate vim aliquam contra nos habere putantur, futurum spero, ut vestrarum animarum & innumerabilium aliarum, quæ à vestro nutu & exemplo pendent, miseri, ab hujusmodi falsorum dogmatum architectis & doctoribus facies vestras animùmque ipsum avertatis, ac nobis qui vitam nostram pro vestra salute alacriter profunderè parati su-

mus, æquiori & magis propitia mente auscultetis. Multæ innocentes manus quotidie & sine intermissione pro vobis in cœlum attolluntur. Hæc in vos studia sunt eorum Anglorum, qui in provincijs transmarinis, nunquam interituræ posteritatis partes, virtuti & eruditioni acquirendæ dant operam, omninóque secum statuerunt, à salute vestra promovenda non priùs absistere, quàm vel animas vestras Christo lucrifecerint, vel lanceis vestris confixi generosè occubuerint. Et quidem quod ad Societatem nostram attinet velim sciatis, omnes nos, qui sumus de Societate JESU per totum terrarum orbem longè latèque diffusi (quorum continua successio & multitudo omnes machinationes vestras Anglicas facile su-

pera-

perabit) sanctum foedus inijsse, ut
cruces, quas nobis injicietis, ma-
gno animo feramus, neq; unquam
de vestra salute desperemus, quam-
diu vel unus quispiam è nobis su-
pererit, qui Tiburno (*Est hic lo-
cus supplicij:*) vestro fruatur, atque
supplicijs vestris excarnificari, car-
ceribusque squalere, & consumi
possit. Jampridem inita ratio est;
divinique numinis auspicio inchoa-
tum certamen, nulla vis, nullus
impetus adversariorum superabit.
Hac ratione consista & tradita olim
fides est; eadem in pristinam di-
gnitatem revocari & restitui de-
bet.

9. Quòd si hoc scriptum meum
quod offero, rejiciatur, nec bene-
voli conatus mei quidquam pos-
sint efficere, & pro itinere multo-
rum millium miliarium vestri cau-

sa suscepto, ingratum animum experiar; id unum agendum mihi supererit, ut vos causamque meam omnipotenti Deo scrutatori cordium commendem: quem quidem ex animo precor, ut nobis tantisper gratiam suam impertiri velit, qua ante extremum remunerationis diem in unam sententiam conspiremus: & ut sic tandem aliquando in caelo, ubi nulla erit injuriarum memoria, sempiterna amicitia perfruemur.

EPISTOLA

EDMUNDI CAMPIONI

ad R. P. Everardum Mercurianum Præpositum Generalem Societatis Jesu, postquam in Anglia menses aliquot egisset, statum Ecclesie Anglicane, suorumque laborum fructum exponit, ab ipso Auctore latinè scripta.

Postquam divina fretus misericordia, quintum jam mensem in his locis dego, R. P. putavi faciendum, ut qui status rerum sit, quique videatur futurus, literis exponerem. Aves enim scire, sat scio, cum pro communi solitudine, tum pro tuo in me amore, quid agam, quid sperem, quidve proficiam. Priora scripseram Audomaropoli, quæ deinceps consecuta sint, paucis accipe.

Dei consilio factum interpretor, ut cum dies ipsos quatuor ventos secundos expectassem, quinto demum, qui festus Joanni Baptistæ fuit, divo tutelari meo, cui causam iterque semper commendaveram, vesperi navigarem. Postridiè, summo manè, Dorobernium appulimus, homulus meus & ego. Ibi minimum abfuit quin caperemur. Coram Prætorè civitatis iussi comparuimus. Ille multa conjectat, nos esse qui eramus: hostes hæreticarum partium, amantes avitæ fidei, dissimulasse nomina, religionis causa domo abfuisse, ejus propagandæ studio rediisse. Unum urgebat, Alanum esse me, quod quidem ego, jurejurando, si opus esset interposito, me negaturum profitebar.

Tandem decernit, idque crebrò

repe.

repetit, cum certa custodia, ad regni proceres transmitti oportere. Neque scio, quis illi novam mentem injecerit, præter Deum, cui tacitus intereà supplicabam, D Joanne adhibito precatore, cujus auspicijs eò perveneram. Repentè prodit senex, cui Deus benefaxit: Placet, inquit, vos dimitti. Valete. Avolavimus. Hæc & his similia, quæ hîc experior, cùm apud me reputo, confirmor in sententia comprehensum iri, cùm ea res ad majorem Dei gloriam spectabit, non priùs.

Londinum attigi. Duxit me bonus Angelus nescientem, in eandem domum, quæ P. antea Robertum exceperat. Accurrunt nobilissimi juvenes, salutant, vestiunt, ornant, armant, emittunt ex urbe. Partem aliquam regionis

obequito penè quotidie. Ingens omnino messis est. Sedens in equo meditor conciunculam, quam ingressus in domum perpolio. Deinde si qui me adeunt, colloquor, aut confitentes audio. Manè peracto sacro, verba facio. Aures auferunt sitientes, Sacramenta percipiunt frequentissimi.

In ijs administrandis passim iuvamur à sacerdotibus, quos ubique reperimus. Ita fit ut & populo satis fiat, & hæc provincia minus laboriosa nobis reddatur. Presbyteri nostrates ipsi doctrina & sanctimonia præstantes, tantam opinionem nostri ordinis excitârunt, ut venerationem, quam nobis exhibent Catholici, non nisi timidè commemorandam existimem. Quò magis videndum est, ut subsidiarij, quibus nunc maxi-

mè indigemus, ejusmodi sint, qui hæc omnia, probè sustentent. Ante omnia concionibus habendis exerceantur. Diù evadere manus hæreticorum non possumus: tot oculi, tot ora, tot hostium insidiæ.

Habitu dementissimo sum, quem sæpè commuto, itémq; nomina. Lego ipse literas, in quarum prima pagella scribitur: Campianus captus est. Hoc jam ita decantatum circumsonat aures meas quocunque venio, ut mihi timor ipse timorem excusserit. Anima mea in manibus meis semper. Hoc afferant meditatam, qui supplementi gratia mittentur.

Verùm, quæ solatia in hoc negotio miscentur, ea non solùm formidinem pœnæ, sed etiam pœnas quaslibet, infinita dulcedine com-

pensant. Conscientia pura, robur invictum, ardor incredibilis, opera insignis, numerus innumerabilis, summi, medij, infimi, omni ætate & sexu. Hic inter ipsos hæreticos, si qui sunt paulò æquiores, proverbium inolevit: Catholicos esse, qui argentum resolvant quod debent. Adeoque si qui Catholici injuriosius quempiam tractant, expostulatur eo nomine, quod à talibus minimè isthoc fieri conveniat.

In summa, hæresis pessimè audit apud omnes, nec ullum genus hominum vulgò vilius, aut putidius est ipsorum ministris. Merito indignamur, in tam perdita causa, homines tam indoctos, tam sceleratos, tam dissectos, tam abjectos, cultissimis ingeniis dominari.

Circumferuntur in nos edicta

mina-

minacissima. Cautione, & bonorum precibus, & quod caput est, divino munere incolumes bonam Insulæ partem pervasimus. Plerosque video, oblitos sui, de nobis esse sollicitos. Quiddam ijs diebus acciderat, quod non speraram, Dei voluntate.

Posueram in scripto, articulatè causas & postulata quædam æquissima. Fassus me Presbyterum societatis, hoc animo venisse, ut amplificarem fidem Catholicam, docerem Evangelium, administrarem Sacramenta, petebam à Regina & regni principibus audientiam, & adversarios ad certamen provocabam. Decreveram penes me unum exemplar tenere, ut mecum ad iudices raperetur: alterum amico commiseram, ut si me me-

úmque

úmque prenderent, illud continuò spargeretur.

Amicus non celavit, edidit, teritur, adversarij insaniunt. Pro suggestu respondent, se quidem cupere, Reginam nolle rebus jam constitutis amplius d sputare. Nos lacerant maledictis, seditiosos, hypocritas, etiam hæreticos appellant; quod maximè ridetur. Populus ea re noster est. Mirificè nobis hoc erratum profuit. Si jube-mur fide publica, dabimus nos in curiam. Sed nihil minus cogitant.

Omnes custodiae nostræ refertæ sunt Catholicis, novæ parantur. Nunc demùm apertè pronuntiant, satiùs esse paucos internecioni dedere proditores, quàm tot animas prodere. De suis martyribus jam tacent. Superamus enim causâ, numero, dignitate, opinione omniũ.

Afferimus pro aliquot apostatis aut sutoribus exustis, Episcopos, Regulos, Equites, antiquissimam nobilitatem, spectacula doctrinæ, probitatis, prudentiæ, lectissimam juventutem, matronas illustres, reliquos fortunæ mediocris planè extra numerum, omnes aut semel, aut quotidie consumptos. Dum hæc scribo, immanissima sævit persecutio. Mœsta domus: nam aut mortem suorum prædicant, aut latebras, aut vincula, aut rapinam bonorum: tamen pergunt animosè.

Etiam nunc plurimi restituntur Ecclesiæ, novitij milites dant nomina, veterani sanguinem profundunt. Hoc sacro cruore, iisque hostijs promerebitur DEUS, & sine dubio brevi vincemus. Vi-

des ergo R. P. quantopere vestris sacrificijs, & precibus & cœlesti auxilio egeamus.

Erunt in Anglia, qui curent salutem suam, erunt qui provehant alienam: irascatur homo, sæviat dæmon. Tamdiu hæc Ecclesia consistet, dum pastores ovibus non deerunt. Impedior præsentissimi rumore periculi, ne plura hoc tempore. Exurgat DEVS, & dissipentur inimici ejus. Vale.

Edmundus Campianus.

EDMUN-

EDMUNDUS
CAMPIANUS DOCTISSI-
mis Academicis, Oxonij floren-
tibus & Cantabria S.P.D.

ANno præterito, cùm ex in-
stituto vitæ meæ, jussus in
hanc Insulam remeâssem, claris-
simi viri, inveni sanè fluctus
haud paulo severiores in Angli-
cano littore, quàm quos in O-
ceano Britannico recens à tergo
reliqueram. Mox interiorem in
Angliam ubi penetrâssem, nihil
vidi familiarius, quàm inusitata
supplicia: nihil certius, quàm
incerta pericula. Collegi me ut
potui: memor causæ, memor
temporum. Ac ne prius fortè
corriperer, quàm auditus à quo-
piam fuisset, scripto protinus

man-

mandavi consilium meum: qui venissem, quid quærerem, quod bellum, & quibus, indicere cogitarem. Autographum apud me habui, ut mecum, si caperer, caperetur: exemplum ejus apud amicum deposui, quod me quidem nesciente, pluribus communicatum est. Adversarij publicatam schedulam atrociter acceperunt; cum cætera, tum illud invidiosissimè criminantes, quod unus omnibus in hoc religionis negotio certamè obtulissem: quanquam solus in acie non eram futurus, si fide publica disputâssem. Responderunt postulatis meis, *Chammerus & Charcus*. Quid tandem? Otiosè omnia. Nullum enim responsum præter unum honestè dabunt, quod nunquam dabunt: *Condi-*

tiones amplectimur, Regina spondet, advola. Interea clamant isti: Sodalitium tuum, seditiones tuas, arrogantiam tuam, proditorem, sine dubio proditorem. Ridiculè. Operam & oleum & famam homines non insipientissimi cur profundunt? Verùm his duobus, (quorum prior animi causam, meam chartam delegit, in quam incurreret: alter malitiosius totam rem convolvit) præbitus nuper est libellus admodum luculentus, qui quantum oportuit, tantum & de Societate nostra, & de horum injurijs, & de Provincia quam sustinemus, edisserit. Mihi supererat, (quoniam, ut video equuleos non scholas parant Antistites) rationem facti mei vobis ut probarem; capita rerum, quæ mihi tantum fidentia pepererunt, quasi digito

fontes ostenderem: vos etiam hortarer, quorum interest, præter cæteros, incumbatis in hanc curam, quam à vobis Christus, Ecclesia, Respub. & vestra salus exigunt. Ego si fretus ingenio, literis, arte, lectione, memoria, peritissimum quenquam adversarium provocavi; fui vanissimus & superbissimus, qui neque me, neque illos inspexerim: sine causam intuitus existimavi satis me valentem esse, qui docerem hunc solem meridie lucere; debetis mihi fervorem istum concedere; quem honor JESU CHRISTI REGIS mei, & invicta veritas imperârunt. Scitis, M. Tullium in Quintiana, cum ei Roscius victoriam adpromitteret, si efficeret argumentis, septingenta millia passuum non esse decursa biduo; non modò nihil veritum articulos &

nervos Hortensij: sed ne grandiores quidem Hortensio Philippos, & Cottas, & Antonios, & Crassos; quibus maximam dicendi gloriam tribuebat, metuere potuisse. Est enim quædam veritas tam illustris & perspicua, ut eam nullæ verborum rerumve præstigiæ possint obruere. Porrò liquidius est, quod nos agimus, quàm illa fuit hypothesis Rosciana. Nam si hoc præstitero: cælos esse, Divos esse, fidem esse, CHRISTUM esse, causam obtinui. Hic ego non sum animosus? Equidem occidi possum, superari non possum. Ijs enim Doctoribus insisto, quos ille Spiritus erudit, qui nec fallitur, nec vincitur. Quæso à vobis, ut salvi esse velitis: à quibus hoc impetrato, reliqua minimè dubitanter expecto. Date modò vos huic

solicitudini : CHRISTUM obte-
stamini, industriam adjungite;
profectò sentietis id, quod res est,
& adversarios desperare, & nos tam
solidè fundatos, quieto magnoque
animo hanc arenam expetere o-
portere. Brevior hîc sum, quòd
reliquo sermone vos alloquor.
Valete.



RATIONES DECEM,
 QUIBUS FRETUS CERTA-
 men adversarijs obtulit in causa
 fidei, idem Edmundus Campianus, alle-
 gatae ad clarissimos viros Anglos Aca-
 demicos, ab ipso auctore latinè
 editæ.

*Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non
 poterunt resistere & contradicere omnes
 adversarij vestri. Luc. 21. v. 15.*

RATIONUM CAPITA.

1. Sacræ Literæ.
2. Sacrarum Literarum sen-
 tentia.
3. Natura Ecclesiæ.
4. Concilia.
5. Patres.
6. Firmamenta Patrum.
7. Historia.
8. Paradoxa.
9. Sophismata.
10. Omne genus testium.

CAPUT I.

PRIMA RATIO,
SACRÆ LITERÆ.

Qui post sublata omnia Antiquitatis testimonia, ad solos scriptos verbi divini codices provocabant Ministri; dum ne sic quidem tueri se potuere, nisi & eos ipsos variè mutilarent; satis eo ipso ostendunt alienam se à DEO causam agere.

CUM multa sunt, quæ adversa-
riorum dissidentiam in causa
loquuntur: tum nihil æquè, at-
que sanctorum Majestas Bibliorum
fædissimè violata. Etenim qui po-
steaquam reliquorum testium voces
& suffragia contempserunt, eò sunt
reducti nihiloseciùs, ut stare ne-
queant, nisi divinis ipsis codicibus

vim & manus intulerint; ij se
 profectò declarant extremâ fortu-
 nâ conflagrare, & rebus jam de-
 speratis ac perditis, experiri du-
 rissima velle atque ultima. (a) (a)
 Manichæis quid causa fuit, ut
 Evangelium Matthæi & Acta
 refrigerent Apostolica? Despe-
 ratio. His enim voluminibus
 cruciabantur, & qui Christum
 negaverant (b) prognatum de (b)
 virgine, & qui (c) Spiritum (c)
 Christianis tum primò cælitus il-
 lapsum finxerant, quum ipsorum
 Paracletus, Persa nequissimus, e-
 rupisset. (d) Quid Ebionis, ut (d)
 omnes Pauli repudiarent epi-
 stolas? Desperatio. His enim su-
 am dignitatem retinentibus, an-
 tiquata circumcisio est, quam isti
 revocaverant. Quid (e) Luthe- (e)
 ro ut Epistolam Jacobi conten-

tiosam, tumidam, aridam, stramineam, flagitiosus Apostata nominaret, & indignam Spiritu censeret Apostolico? Desperatio. Hoc enim Scripto confessus miser atque diruptus est, cum in sola fide iustitiam constitueret. Quid Lutheri catulis,

(f) (f) ut Tobiam, Ecclesiasticum, Machabæos, & horum odio complures alios, eadem calumnia comprehensos, è sincero canone repente dispungerent? Desperatio.

(g) His enim (g) oraculis disertissime coarguuntur, quoties de Angelorum patrocínio, quoties de arbitrij libertate, quoties de fidelibus vita defunctis, quoties de Divorum hominum intercessione disputant. Itane verò?

dacia?

dacia? cùm Ecclesiam, Concilia, Cathedras, Patres, Martyres, Imperia, Populos, Leges, Academias, Historias, omnia vetustatis & sanctitatis vestigia conculcassent, scripto Dei verbo tantum controversias velle dirimere proclamassent; illud ipsum verbum, quod solum restiterat, exsecutis e toto corpore tam multis, tam bonis, tam speciosis partibus, delumbasse? (h) Septem enim ipsos (h) de veteri Testamento codices, ut minuta dissimulem, Calviniani præciderant: (i) Lutherani verò (i) etiam Epistolam Jacobi, & hujus invidiâ quinque alias, de quibus aliquando fuerat & alibi controversum. His quoque libellum Hesteris, & tria pene capita Danielis annumerant novissimi Genevenses: qua qui-

dem Anabaptista, istorum con-
discipuli jam pridem damnave-
rant atque deriserant. Quantò
(k) modestius (k) Augustinus, qui
sacrosanctum catalogum perte-
xens, non sibi neque Alphabetum
Hebraicum ut Judæi, neque pri-
vatum Spiritum ut Sectarij, pro
regula posuit: sed illum Spiritum,
quo totum corpus Ecclesiæ Christus
animat? quæ quidem Ecclesiæ cu-
stos hujus depositi, non magistra,
quod heretici cavillantur, the-
saurum hunc universum, quem
Tridentina Synodus est amplexa,
vetustissimis olim Concilijs publi-
citus vendicavit. Idem Augusti-
nus (de prædestinatione sanct.
cap. 24.) de una Scripturarum
particula speciatim differens, in-
ducere in animum non potest,
librum Sapientie, qui jam tum

*Ecclesie calculo, temporum serie,
 priscorum testimonio, instinctione
 fidelium, ut firmus & Canonicus
 robur obtinuerat; cuiusquam te-
 meritate, vel susurro extrudi ex-
 tra Canonem oportere. Quid ille
 nunc diceret si viveret in terris,
 & Lutheros Calvinosque concer-
 neret opifices Bibliorum, qui sua
 lima politula & elegantula vetus
 novumq; Testamentum raserint;
 neque Sapientiam tantum, sed
 & alia permulta de Canonico-
 rum librorum ordine segregave-
 rint: ut quidquid ex horum of-
 ficina non prodierit, illud ab om-
 nibus phrenetico decreto, tan-
 quam incultum & horridum con-
 spuatur? Ad hoc tam dirum &
 execrabile perfugium qui descen-
 derint, ij certè licèt in ore suo-
 rum asseclarum volitent, Sacer-*

dotia nudinentur, declamitent
in concione, ferrum in Catholicos,
equuleum crucemque consciscant;
tamen victi, abjecti, squalidi,
prostrati sunt: quandoquidem ar-
reptâ virgulâ censoriâ, veluti
arbitri sedentes honorarij, divi-
nas ipsas tabulas, si quæ ad sto-
machum non fecissent, obliterant.
Ecquis est, vel mediocriter insti-
tutus, qui talium cuniculos ho-
stium reformidet? qui hostes
quamprimum in corona vestra,
eruditorum hominum, ad ejus-
modi veteratorias artes, tan-
quam ad familiarem demonem
currerent, non aurium convitio,
sed strepitu pedum exciperentur.
Quererem ab illis verbi gratiâ,
quo jure corpus Biblicum detrun-
cent atque diripiant? Respondent:
non se veras Scripturas excin-
dere.

dere, sed excernere supposititias. Quo iudice? Spiritu sancto. Hoc enim responsum à (l) Calvino (l) præscribitur, ut Ecclesiæ iudicium, quo Spiritus examinantur, subterfugiat. Cur igitur alios alij lancinatis, cum omnes eodem Spiritu gloriemini? Calvinianorum Spiritus recipit sex epistolæ, quæ Spiritui non placent Lutherano; freti tamen uterque sancto Spiritu. (m) Anabaptistæ (m) historiam Jobi fabulam appellant, Tragicis & Comicis legibus intermixtam. Qui sciunt? Spiritu docente. (n) Castalio, mysticum illud Salomonis Canticum, quod, ut Paradisum animæ, ut manna reconditum, ut opiparas in Christo delicias Catholici admirantur, nihilo pluris, quam cantilenam de amiculâ, & cum

pedissequis aula colloquium amatorium, venerus furcifer, aestimavit. Unde hausit? à Spiritu.

In Apocalypsi Joan. cujus omnes apices excelsum aliquid & magnificum sonare confirmat (o) Hieronymus; tamen (p) Lutherus, & Brentius, & Kemnitius, quiddam,

(o) nescio quid, difficiles Aristarchi desiderant: eò scilicet propendentes, ut exauctoretur: quem per-

(q) contati? Spiritum. (q) Quatuor Evangelia fervore præpostero Lutherus inter se committit, & prioribus tribus Epistolas Pauli longè præferens, unicum deinceps Evangelium Joannis pulchrum, verum, præcipuum decernit esse nominandum; quippe, qui, quod in ipso fuit libenter etiam Apostolos suarum rixarum socios adscripsisset: quo doctore?

Spiritu. Quin etiam iste (r) fraterculus, non dubitavit Evangelium Luca petulanti stylo perstringere, quòd in eo crebrius bona nobis virtutum opera commendentur: quem interrogavit? Spiritum. Theodorus Beza verbum illud arcanum ex Luca vigesimo secundo capite, Hic est calix, novum testamentum in sanguine meo, qui (calix) pro vobis fundetur: ausus est ut corruptum vitiatumque traducere; quòd hac oratio nullam expositionem, nisi de vino Calicis converso in verum Christi sanguinem patiatur: quis indicavit? Spiritus. Denique cum omnia credant suo quisque spiritui, nomen sancti Spiritus horribili blasphemia mentiuntur. Qui sic agunt, nonne se produnt? nonne facile refutan-

tur?

tur? nonne in confessu talium virorum, quales estis Academici, tenentur, ac minimo negotio constringuntur? cum his ego timeam pro fide Catholica disputare, qui pessima fide voces non humanas, sed aethereas, tractare? Nihil hic dico, quae vertendo perverterint; quamvis intolerabilia sint quae accusem. Gregorio Martino scientissimo linguarum collega meo, qui doctius & plenius hoc praestabit, nihil praeipio, nec alijs, quibus id laboris esse jam praemanibus intellexi. Facinorosius crimen est ac tetrius, quod nunc persequor: inventos esse Doctorculos, qui temulento quodam impetu in caeleste chirographum involarint: id ipsum pluribus locis, ut maculatum, ut mancum, ut falsum, ut surreptivum

condemnârint: ejus partes aliquas correxerint, aliquas corroserint, aliquas evulserint: huic omne propugnaculum quo munitiebatur, in Lutheranos spiritus, tanquam in valla phantasmatum, pictosque parietes commutârint, ne prorsus obmutescerent, quum in Scripturas erroribus suis infestas impingerent; quas nihilo commodius expedire, quam sorbere favillas, aut saxa mandere potuissent.

Hac ergo mihi prima ratio vehemens & justa fuit; qua ubi partes adversarias umbraticas & fractas ostendisset, animum sanè addidit viro, & Christiano, & in his studiis exercitato, pro sempiterni Regis diplomate adversus reliquias profligatorum hostium decertandi.

(a) August. lib. 28. contra Faust. c. 2. & de utilit. cre. cap. 3. (b) Matt. 1. (c) Act. 2. (d) Iren. lib. 10. cap. 26. (e) Lut. in novo test. germanico. Præfa. in ep. Jac. Vide etiam lib. de Ca. Bab. cap. de extr. unct. & cent. 2. Magd. pag. 58. Jac. 2. (f) Bibl. Genev. (g) Tob. 12. Eccl. 15. 2. Mach. 12. 2. Mach. 15. (h) Ij sunt Baruch, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesias. duo Machab. (i) Ex novo Test. epist. Jac. Epist. ad Hebr. Epi. Jud. Epist. 2. Pet. Epi. 2. & 3. Joan. Ita censent Bibl. Geneve. Luth. in præfat. citata, Mag. cent. 1. lib. 2. cap. 4. Kem. in exam. conc. Trid. Sess. 4. (k) Augu. de doct. Christ. libr. 2. cap. 8. Vide Mel. Can. lib. 2. de 10.

Theol. c. 9. 10. 11. Con. Trid.
Sess. 4. (l) Instit. lib. 1. cap.
7. num. 4. & 5. (m) Xistus
Sen. lib. 8. hæc. 10. (n) Præf.
in Cant. Vide Bezam in sua
præfat. ante commen. Cal. in
Josue. (o) Epi. ad Paulin. (p)
Præfat. in Apo. Kemn. in exam.
(q) Præfat. in novum Testa-
mentum. (r) Ser. de Pharif. &
Publican. (s) Beza in Luc. 22.

CAPUT II.

*SECUNDA RATIO,
SACRARUM LITERA-
RUM SENTENTIA.*

Dum, si textu sacrae scri-
pturae premantur, ad collatio-
nes scripturarum provocant
Ministri; si ea ipsis eripiatur,

reli-

relictâ omni Ecclesiæ antiquitate, ad proprium denique quisque spiritum judiciûmque suum se refert, in omni sua scripturarum interpretatione: eo ipso quidem demonstrant, nil se solidum in divinis retinuisse.

Alterum est, quod me quidem ad congressum incitârît, & horum apud me copiolas elevârît; adversarij perpetuum in Scripturis exponendis ingenium, plenum fraudis, inane prudentie. Statim hac Philosophi tangeretis. Itaque vos auditores expetij.

Sciscitemur ab adversarijs, exempli gratiâ, quidnam secuti novam Sectam intriverint, quâ Christus excluditur è cœna mystica. Si nominant Evangelium,

accurrimus. A nobis verba sunt.

(a) Hoc est corpus meum. (a)

Hic est sanguis meus. *Qui ser-*

mo visus est ipsi (b) *Luthero tam* (b)

potens, ut cum etiam discuperet

fieri Zuinglianus, quòd ea re plu-

rimum incommodare Pontifici po-

tuisset; captus tamen & victus

apertissimo contextu cederet: ne-

que minus invitus Christum ve-

rè presentem in Sacramento san-

ctissimo fateretur, quàm olim (c) (c)

Demones victi miraculis, Chri-

stum Dei filium vociferati sunt.

Agedum, pagellâ scriptâ superio-

res sumus, de sententia scripti

contenditur. Hanc pervestigemus

ex verbis adjacentibus. (d) (d)

Corpus meum quod pro vobis

datur. Sanguis meus, qui pro

multis effundetur. Adhuc du-

rissima partes Calvinii sunt, no-

stra faciles & explicata. Quid amplius? Conferte Scripturas, in-
 (e) quiunt. Maxime. Conspirant (e) Evangelia, Paulus adstipulatur:
 (f) (f) voces, clausula, tota conne- xio, panem, vinum, insigne mi-
 raculum, cœleste pabulum, car- nem, corpus, sanguinem, reveren- ter ingeminant. Nihil enigma- ticum, nihil offusum caligine lo- quendi. Tamen perstant adver- sarij, neque ullum finem faciunt altercandi: quid agimus? Opi- nor, audiatur antiquitas, & quod nos alteris alteri suspecti non possumus; illud, omnium seculo- rum veneranda canities, Christo propior, ab hac lite remotior, de- cidat arbitrio. Non ferunt: pro- di se ajunt: Dei verbum purum putum inclamant, hominum com- mentarios aversantur. Insidiosè,

inep-

ineptè. Dei verbum perurgemus:
obscurant. Divos testamur in-
terpretes: obsistunt. In summa,
sic instituunt, nisi reorum judi-
cio steteris, nullum iudicium fo-
re. Atque ita se gerunt in omni
quam exercemus controversia: de
infusa gratia, de inherente justi-
tia, de Ecclesia conspicua, de ne-
cessitate Baptismatis, de Sacra-
mentis & Sacrificio, de priorum
meritis, de spe & timore, de
peccatis imparibus, de auctorita-
te Petri, de clavibus, de votis,
de Consilijs Evangelicis, de cæ-
teris. Scripturas neque paucas, &
ponderosas Catholici passim in li-
bris, in colloquijs, in templis, in
schola citavimus atque discussi-
mus: eluserunt. Veterum scholia
Græcorum & Latinorum admo-
vimus: abnuerunt. Quid tum

deni-

denique? D. Martinus Lutherus, aut verò Philippus, aut certè Zuinglius, aut sine dubio Calvinus & Beza fideliter enarrarunt. Egone quenguam vestrum existimem tam esse mucosis naribus, qui hoc artificium monitus non persentiscat? Quare fateor me Scholas Academicas cupidè requirere: ut inspectantibus vobis, calamistratos istos milites in solem & pulverem è suis umbraculis evocatos, non meis viribus, qui cum nostris, centesima parte, non sum conferendus; sed valentissima causa, & certissima veritate debilem.

(a) Matt. 26. (b) Luth. in epist. ad Argen. (c) Matt. 8. Mar. 1. (d) Luc. 22. Matt. 26. (e) Joan. 6. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. (f) 1. Cor. 11.

CAPUT III.

TERTIA RATIO.

NATURA ECCLESIAE.

Dum Ecclesiam, tot nominibus in scripturis commendatam ut ei adhæreamus, ad solos Dei electos, hominibus quidem invisibiles, soli autem Deo tandem notos, restringunt Ministri; eo ipso se satis produnt, ad veram Ecclesiam minimè pertinere.

Aldito jam Ecclesie nomine, hostis expalluit. Sed tamen excogitavit quiddam, quod à vobis animadverti volo, ut falsi ruinam & inopiam cognoscatis. Senserat in Scripturis tum Prophetis tum (a) Apostolicis, ubi- (a) que honorificam Ecclesie fieri

mentionem: vocari Civitatem sanctam, fructiferam Vineam, Montem excelsum, directam Viam, Columbam unicam, Regnum cœli, Sponsam & Corpus Christi, firmamentum veri, multitudinem illam cui Spiritus promissus instillet omnia salutaria: illam, in quam universam nulle sint unquam fauces Diaboli morsum lethiferum impature: illam, cui quicumque repugnet, quantumvis ore Christum predicet, non magis Christo, quam Publicanus aut Ethnicus, potiatur. Non est ausus contravenire sonitu: videri noluit Ecclesie, quam toties Scriptura commemorant, refragari: nomen callidè retinuit, rem ipsam funditus definiendo sustulit. His enim proprietatibus delineavit

Ecclesiam, quæ penitus ipsam oc-
 culant, & (b) dimotam à sensi- (b)
 bus, tamquam ideam Platoniam,
 secretis obtutibus hominum per-
 paucorum subjiciant; eorum tax-
 tummodo, qui singulariter affla-
 ti, corpus hoc æreum intelligen-
 tia comprehenderent, & hujusce
 sodalitatis participes subtili quo-
 dam oculo lustrarent. Ubi candor?
 Ubi simplicitas? Quæ scriptura?
 quæ sensa? qui Patres hoc peni-
 cillo depingunt Ecclesiam? sunt
 (c) Christi ad Asiaticas Ecclesi- (c)
 as, sunt Petri, Pauli, Joannis,
 aliorum ad diversas epistole: fre-
 quentes in Actis Apostolicis in-
 choantur & propagantur Eccle-
 sia. Quid istæ? Num soli Deo &
 sanctis hominibus, an Christia-
 nis etiam cujuscunque generis
 manifesta? Sed profectò, durum

telum necessitas est. Ignoscite. Nam qui seculis omnino quindecim, non oppidum, non villam, non domum reperiunt imbutam

(d) doctrina sua, donec (d) infelix Monachus incæsto connubio votam Deo virginem funestâsset,

(e) aut (e) Helvetus gladiator in Patriam conjurâsset, aut stigmaticus

(f) (f) perfuga Genevam occupâsset; ij coguntur Ecclesiam, si quam volent, in latebris venditare, & eos parentes asserere, quos nec ipsi noverint, neq; mortalium quisquam aspexerit. Nisi fortè gaudent majoribus illis, quos

(g) Hereticos fuisse liquet; ut (g) Aërio, Joviniano, Vigilantio, Helvidio, Iconomachis, Berengario, Waldensibus, Lolchardo, Wiclefo, Hussio, à quibus pestifera quaedam fragmenta dogma-

tum emendicârint. Nolite mirari si fumulos istos non pertimui: quos, modò ad meridianam lucem venero, minimè fuerit laboriosum dispellere. Hæc est enim nostra sermocinatio. Dic mihi, subscribis Ecclesie, quæ seculis antea actis viguit? omnino: obeamus ergo terras & tempora: cui? cœtui fidelium: quorum? nomina nesciuntur, sed constat plurimos extitisse. Constat? quibus constat? Deo. Quis dicit? nos, qui divinitus edocti sumus. Fabule: qui credam? si arderes fide, tam scircs hoc, quàm te vivere.

Spectatum admissi risum teneatis.

Juberi Christianos omnes adjungere se Ecclesie, cavere ne spiritali gladio trucidentur, in domo Dei pacem colere, huic ani-

mas credere columini veritatis,
isthic querelas omnes deponere,
hinc ejectos habere pro Eθνicis;
nescire tamen tot centenis annis,
tot homines, ubinam illa sit, qui-
ve huc pertineant? unum illud
crepare; in tenebris, ubi ubi sit
Ecclesia, tantummodo Sanctos in
athera destinatos eā contineri?
Ex quo fit, ut si quis imperium
sui Prasulis detrectare velit, sce-
lere solvatur, dum modo sibi per-
suadeat Presbyterum in crimen
incidisse, & ab Ecclesia protinus
excidisse. Cū scirem adversa-
rios talia comminisci, quod nul-
lius etatis Ecclesia consuēssent;
& orbatos tota re, velle tamen
inter angustias, vocabulum possi-
dere: solabar me vestro acumine,
atq; aded mihi pollicebar fore, ut
quamprimum hujusmodi technas

*ex ipsorum confessione cerneatis;
statim homines ingenui & cor-
dati, stultas argutias in vestram
intextas perniciem discindere-
tis.*

(a) Apo. 21. ver. 10. Psal.
79. ver. 9. Isa. 2. & 35. vers. 8.
Cant. 6. Matt. 13. Ephes 5. 1.
Cor. 12. 1. Tim. 3. Joan. 14.
Matt. 16. Matt. 18. (b) Cal.
Institut. lib. 4. ca. 1. num. 2.
& 3. (c) Apo. 1. 2. 3. Act. 8.
10. 21. & seq. (d) Lutherus
(e) Zuinglius. (f) Calvinus.
(g) Henric. Pantal. in Chro-
nogr.

CAPUT IV.
QUARTA RATIO.
CONCILIA.

Dum Concilia generalia, ad

quæ omnis Ecclesiarum Christi in terris religio, maturitas, scientia, sapientia, dignitas, congregatur; adhibitisq; omnibus medijs, & divinis & humanis, quibus indagari veritas potest, Spiritûs sancti imploratur auxilium; omnia tamen respuunt Ministri: eo ipso satis declarant, legitimâ veritatis inveniendæ viâ se omnino excidisse.

Gravis Ecclesia nascente, *questio de legitimis ceremonijs, que credentium animos disturbavit, coactò Apostolorum & Seniorum concilio soluta est. Credidère parentibus filij, pastoribus oves, in hac verba mandantibus: (a) Placuit*

Spi-

Spiritui sancto & nobis. Sequuta sunt ad extirpandam heresim, qua varia quibusque seculis pullulavit, œcumenica veterum Concilia quatuor, tanta firmitudinis; ut iis ante (b) annos mille, singularis honos tanquam divinis vocibus haberetur. (b)
 Non abibo longius. Etiam domi nostre; (c) comitijs regni, eadem Concilia, pristinum jus inviolatamque dignitatem obtinent. (c)
 Hæc citabo; tēque ipsam, Anglia, dulcissima patria, contestabor. Si, quemadmodum præ te fers, quatuor ista Concilia reverebere; summum honorem primæ sedis Episcopo, id est Petro (d) deferres: incruentum corporis & sanguinis Christi sacrificium in altari (e) recognosces: (e)
 Beatos Martyres, divosq; omnes

Caelites, ut pro te Christo supplicent, (f) obsecrabis: mulierosos Apostatas ab infando concubitu, (g) & incestu publico (g) coërcebis: multa facies quæ demoliris, multa quæ facis infecta voles. Porro Synodos aliorum temporum, nominatim verò Tridentinam, ejusdem auctoritatis ac fidei, cum primis illis fuisse, quando usus venerit, demonstraturum me spondeo atque recipio. Auctus igitur Conciliorum omnium valido & exquisito presidio, cur non ingrediar in hanc palestram, animè tranquillo & presenti, observaturus Adversarium quò se proripiat? Nam & evidentissima producam, quæ distorquere non poterit; & probatissima, quæ ressuere non audebit. Fortasse verbosius obloquendo diem extra-

here

here conabitur: sed ab intentis hominibus, si vos ego bene novi, nec aures nec oculos compilabit.

Quòd si quis erit omnino tam demens, qui se unum opponat Senatoribus orbis terra, & ijs quidem omni exceptione maioribus, sanctioribus, doctioribus, vetustioribus; libenter aspiciam illud os, quod ubi vobis ostendero, reliqua cogitationibus vestris relinquam. Interim hoc monebo: qui pleno Concilio ritè atque ordine consummato, momentum & pondus abrogat; videri mihi nullo consilio, nullo cerebro, neq; solùm in Theologicis tardum, sed etiam in Politicis inconsultum. Si unquam Dei Spiritus illuxit Ecclesie, certè illud est tempus immittendi Numinis, quum omnium Ecclesiarum, quæ sunt in ter-

ris patentissima, religio, maturitas, scientia, sapientia, dignitas, unam in urbem confluxerint; adhibitisq; modis omnibus, divinis & humanis, quibus indagari veritas possit, (h) promissum implorent Spiritum, quo salutariter & prudenter sanciant. Profiliat nunc aliquis factionis Hæreticae magistellus, attollat supercilia, suspendat nasum, frontem perfricet, iudicesque suos scurriliter ipse iudicet: quos ille ludos, quos iocos dabit? Repertus est (i) Lutherus, qui diceret anteferre se Concilijs, duorum suffragia bonorum & eruditorum hominū, (putatote suum & Philippi) si quando in Christi nomine consensissent. O circulos! Repertus est (k) Kemnitius, qui Concilium Tridentinum ad suos vertiginis

impor-

*importuna calculos exegerit: quid
lucratus? Infamiam. Dum iste,
nī caverit, sepelietur cum Arrio:
Tridentina Synodus, quò magis
inveterascet, eò magis in dies,
eòque perenniùs efflorescet. Bone
Deus, quæ gentium varietas, qui
delectus Episcoporum totius or-
bis, qui Regum & Rerumpubli-
carum splendor, quæ medulla
Theologorum, quæ sanctitas, quæ
lachrymæ, quæ jejunia, qui flores
Academici, quæ lingua, quanta
subtilitas, quantus labor, quàm
infinita lectio, quanta virtutum
& studiorum divitiæ, augustum
illud Sacrarium impleverunt?
Audiui ego Pontifices exultantes,
& in his Antonium Archiepisco-
pum Pragensem, à quo sum crea-
tus Presbyter, amplissimos &
prudentissimos viros, quòd in ea*

schola habissent aliquot annis: ut nullum Ferdinandi Caesaris, cui multum debuerant, regalius & uberius in se beneficium colerent; quam hoc fuit, quod in Tridentino Gymnasio legati ex Pannonia consedissent. Intellexit hoc Caesar, qui reversis ita gratulatus est: Aluimus vos in Schola optima. Huc invitati fide publica, cur non properarunt adversarij; ut eos palam refellerent, in quos rannunculi coaxant è cavernulis? Hussio & Hieronymo fregere fidem, inquit. Qui? Constantiensis Concilij procures. Falsum est: nullam enim dedere. Sed nec in Hussium tamen animadversum fuisset; nisi homo perfidiosus & pestilens, retractus ex fuga, quam ei Sigismundus Imperator periculo capitis interdixerat, violatis etiã

conditionibus, quas scripto pepigerat cum Casare, vim omnem illius diplomatis enervasset. Fefellit Hussium præcipitata malitia. Fusus enim, cum barbaras in sua Bohemia Tragædias excitasset, semetipsum sistere Constantia, despexit prærogativam Concilij: securitatem petijt à Casare, Casar obsignavit; Christianus orbis resignavit, major Casare: redire ad mentem Hæresiarcha noluit, perijt. Hieronymus verò Pragensis furtim venit Constantiam, protectus à nemine; deprehensus comparuit, peroravit, habitus est perbenignè: liber abiit quò voluit, sanatus est, hæresim ejuravit; relapsus est, exustus est. Quid toties unum exemplum de sexcentis exagitant? Repetant Annales suos. (1) (1)

Martinus ipse Lutherus, odium
 Dei & hominum, Augusta posi-
 tus coram Cardinale Cajetano,
 nonne quod potuit, eructavit, &
 Maximiliani literis communi-
 tus, excessit? Idem accitus Wor-
 matiam, cum & Casarem &
 plerosq; Imperij Principes haberet
 infensos, nonne Casaris verbo tu-
 tus fuit? Postremò Lutheranorum
 & Zuinglianorum capita presen-
 te Carolo Quinto, Hereticorum
 hoste, victore, domino, nonne da-
 tis inducijs Confessiones suas to-
 ties innovatas exhibuere Comitijs
 Augustanis, & sospites abiere?
 Haud secus, litera Tridentina lo-
 cupletissimas adversario cautio-
 nes providerant; uti noluit. Ni-
 mirum se jactat in angulis, in
 quibus ubi tria verba Græca so-
 nuerit, sapere videatur: abhor-

ret à luce, qua literatorum in numero poneret, & ad honesta subsellia devocaret. Catholicis Anglicis tale chirographum impunitatis impetrent, si diligunt salutem animarum. Nos Hussium non causabimur: in Curiam, verbo Principis innixi, convolabimus.

Sed ut unde sum egressus eò regrediar; Concilia generalia mea sunt: primum, ultimum, media: his pugnabo. Hastam expectet adversarius amentatam, quam evellere nunquam poterit. Prosteratur in eo Satanas, Christus vivat.

(a) Act. 15. (b) Greg. lib. 1. epi. 24. (c) An. 1. Elizab. (d) Nicæ. can. 6. Chalced. act. 4. & 16. Constant. cap: 5. (e) Ephes. conc. in epist. ad Nestor. Nic.

c. 14. (f) Chalc. act. 11. (g) Nicæan. Concil. apud Soc. lib. 1. ca. 8. Vide Chalc. can. 4. 7. 14. 24. (h) Joan. 14. Matt. 18. (i) Lib. de cap. Bab. (k) Martin. Kemnitij examen Conc. Tridentini. (l) Anno 1518. Anno 1521. Vide Concil. Trid. sess. 13. 15. & 18.

CAPUT V.
QUINTA RATIO.
PATRES.

Dum variè præ se contemnunt Doctores antiquos Ecclesiæ, & omnes & singulos, Ministri, nec possunt aliter, si sibi constare velint; eo ipso manifestant, ab omni se Dei providentia, quâ Ecclesiam is suam perpetuò gubernat, alienos esse.

ANtiochie, qua primum in ur-
be Christianorum nobile co-
gnomentum increbuit, Do-
ctores, id est, Concionatores per-
quam celebres floruerunt. Hu-
jusce generis (a) Scribas & Sa- (a)
pientes, doctos in regno Dei,
nova promentes, & vetera,
Christum callentes, & Moysen,
Dominus ipse futuro gregi pro-
spexerat. Hos ingentis benefi-
cij loco donatos explodere, quanti
maleficij est? explosit adversa-
rius. Quid ita? quia stantibus il-
lis concidisset. Id ego cum pro-
certissimo comperissem, pugnam
simpliciter exoptavi; non illam
jocularis, quâ turbâ velitantur
in compitis, sed istam severam &
acrem, quâ congregimur in ve-
stris Philosophorum spatijs.

Pede pes, densusque viro vir.

Ad

Ad Patres si quando licebit accedere, confectum est prælium: tam sunt nostri, quam Gregorius ipse decimus tertius, filiorum Ecclesie Pater amantissimus. Nam ut omittam loca sparsa, quæ ex monumentis veterum conquisita, nostram fidem appositè affirmatèque propugnant; tenemus horum integra volumina, quæ de industria religionem, quam tuemur Evangelicam, distinctè copiosèque dilucidant. Duplex Hierarchia Martyris (b) Dionysij, quas classes, quæ sacra, quos ritus edocet? Pupugit ea res Lutherum (c) tam valde, ut hujus opera simillima somniis, nec non perniciosissima judicaret. Imitatus parentem (d) Causæus, nescio quis terre filius ex Gallia, non est veritus hunc Dionysium

inclytæ gentis Apostolum, vocitare delirum senem. Centuriones vehementer offendit (e) (e) Ignatius; offendit & Calvinum, ut in ejus epistolis deformes nævos & putidas nænias, hominum quisquiliæ, notârint. Censoribus illis fanaticum (f) (f) quiddam Irenæus edidit: Clemens, auctor Stromatum, Zizania fecésque protulit: reliqui Patres hujus ævi, sanè Apostolici viri, blasphemias & monstra posteris reliquerunt. In (g) (g) Tertuliano rapiunt avidè, quod à nobis edocti, nobiscum communiter detestentur: sed meminerint libellum de præscriptionibus, qui nostri temporis Sectarios tam insigniter perculit, nunquam fuisse reprehensum. (h) (h) Hippolytus Portuensis Episcopus, quàm belle, quàm

quàm clarè, Antichristi nervum, Lutherana tempora præmonstravit? Eum propterea Scriptorem infantissimum & larvam nominant. Cyprianum delicias & decus Africæ, Gallicanus ille (i) Criticus, & (k) Magdeburgici, stupidum & destitutum Deo & depravatores pœnitentiæ, nuncupârunt. Quid admisit? Scripsit enim de virginibus, de lapsis, de unitate Ecclesiæ tractationes ejusmodi, eas etiam Epistolas Cornelio Romano Pontifici; ut nisi fides huic Martyri detrahatur, Petrus Martyr Vermilius, omnesque cum eo fœderati, peiores adulteris, & sacrilegis habeantur. Ac ne singulis insistam diutiùs: Patres hujus seculi damnantur omnes, quippe qui doctrinam (l) de pœnitentia, mirè

depravârint : quo pacto? nam
 austeritas Canonum quæ viguit
 ea tempestate, majorem in modum
 displicet huic Sectæ plausibili;
 quæ triclinijs aptior quàm tem-
 plis, voluptarias aures titillare,
 & pulvillos omni cubito solet
 assuere. Quid etas proxima,
 quid peccavit? Chrysostomus &
 ij Patres (m) justitiam fidei foe- (m)
 dè videlicet, obscurârunt. Na-
 zianzenus, quem honoris causâ
 Theologum veteres appellârunt,
 (n) Causeo judice, Fabulator (n)
 quid affirmaret, nescijt. Ambro-
 sius à Cacodæmone fasciatus
 est, Hieronymus æquè damna-
 tus atque diabolus, injuriosus
 (o) Apostolo, blasphemus, sce- (o)
 leratus, impius. Unus Grego-
 rio Messonio, plurius est Calvi-
 nus, quàm centum Augustini.

rarum est, centum: Lutherus nihil. facit aduersum se, (p) mille Augustinos, mille Cyprianos, mille Ecclesias. Longius rem deducere supervacaneum puto. Nam in hos qui bacchantur, quis miretur in Optatum, Athanasium, Hilarium, Cyrillos, Epiphanium, Basilium, Vincentium, Fulgentium, Leonem, Gregoriumque Romanum, fuisse procacissimos?

Quanquam, si datur ulla rebus injustis, justa defensio; non inficior, habere Patres, ubicunque incideris, quòd isti dum sibi consentiunt, necessario stomachentur. Etenim qui odere stata jejunia, quo animo oportet esse in Basilium, Nazianzenum, Leonem, Chrysostomum; qui de Quadragesima, & indictis jejuniorum

feris,

ferijs, tanquam de rebus jam usitatis, conciones egregias publicârunt?

Qui suas animas, auro, libidine, crapula, & ambitiosis conspectibus vendiderunt; possuntne non esse inimicissimi Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, quorum excellentes libri de Monachorum instituto, regula, virtutibus, teruntur?

Qui captivam hominis voluntatem invexere, qui Christiana funebria sustulere, qui Divorum reliquias incendere; sintne placabiles Augustino, qui de Libero Arbitrio, libros tres; de cura pro mortuis, unum; de miraculis ad Basilicas, & memorias Martyrum, prolixum caput (9) nobilissimi operis, & conciones aliquot exaravit? (9)

- Qui fidem suis captiunculis
 metiuntur; nonne succenseant
 (r) Augustino, cujus est insignis (r)
 Epistola contra Manicheum, qua
 se profitetur, antiquitati, consen-
 sioni, successioni perpetua, & Ec-
 clesie que sola inter tot hereses
 Catholice nomen usucapione ven-
 dicat, assentire?
- (s) (s) Optatus, Milevitanus E-
 piscopus, Donatianam partem re-
 vincit ex communione Catholica:
 nequitiam accusat ex decreto
 (t) Melchiadis: (t) heresim refutat
 ex ordine Romanorum Pontifi-
 (u) cum: (u) insaniam patefacit in
 Eucharistia & Chrismate conta-
 (x) minatis: (x) sacrilegium horret,
 ex diffractis altaribus, in qui-
 bus Christi membra portata
 sunt, pollutisque calicibus, qui
 Christi sanguinem tenuerunt.

runt. De Optato quid sentiant, auco scire; quem (y) Augustinus (y) ut venerabilem & Catholicum Episcopum, Ambrosio parem & Cypriano; quem (z) Fulgentius (z) ut sanctum & fidelem Pauli interpretem, Augustini similem & Ambrosii meminerunt.

Athanasij Symbolum in Templis concinunt. Num favent ei? qui Antonium Eremitam Ægyptium, gravis auctor, accurato libello dilaudaverit, qui que cum Alexandrina Synodo, iudicium Sedis Apostolicæ, divi Petri, suppliciter appellârit? Prudentius in Hymnis, quoties precatur Martyres, quos decantat? quoties ad eorum cineres & ossa, regem Martyrum veneratur? num hunc probabunt? Hieronymus pro Divorum reliquijs, & honori-

bus scribit in *Vigilantium*; in *Jovinianum*, pro *virginitatis gradu*: hunc cuncti patientur?

- (a) *Ambrosius* tutores suos *Gervasium & Protasium*, (a) *celebritate notissima*, in *Arrianam ignominiam honestavit*: cui facti *divinissimi* (b) *Patres encomion tribuere*: quod factum *Deus non uno prodigio decoravit*: num *benevoli sunt Ambrosio futuri*?

Gregorius Magnus noster *Apostolus*, planissime noster est, eoque nomine nostris *Adversariis odiosus*: quem *Calvini rabies negat in Schola sancti Spiritus educatum*, propterea quod *sacras imagines, Illiteratorum libros appellasset*.

Dies me deficeret numerantem Epistolas, Conciones, Homilias, Orationes, Opuscula, Disceptatio-

nes Patrum, in quibus ex apparato, graviter & ornatè nostra Catholicorum dogmata roborarunt. Quamdiu apud Bibliopolas ista venierint, tamdiu frustra nostrorum Codices prohibentur: frustra servantur aditus oraque maritima: frustra domus, arca, scrinia, capsule disquiruntur: frustra tot portis minaces tabula suffiguntur. Nullus enim Hardingus, nec Sanderus, nec Alanus, nec Stapletonus, nec Bristolus hæc nova somnia vehementius, quàm hi, quos recensui, Patres insectantur. Talia cogitanti accrevit animus & desiderium pugna: in qua, quoquo se moverit Adversarius, nisi gloriam Deo cesserit, feret incommodum. Patres admiserit, captus est: exclusit, nullus est.

Adolescentibus nobis ita contigit.

*Joannes Juellus antesignanus Calvinianorum Angliae, Catholicos ad Divi Pauli Londinensium incredibili jaētantia laceſſivit; invocatis per hypocrisin & imploratis Patribus, quicumque intra salutis annum ſexcentimum claruiſſent. Accipiunt conditionem memorabiles viri, qui tum exulabant Lovanii, ſummis licet difficultatibus propter iniquitatem ſuorum temporum circumſepti. Auſim dicere, tanto popularibus noſtris bono fuiſſe illam Juelli aſtutiam, inſcitiam, improbitatem, impudentiam, quas ij Scriptores feliciter expande-
runt; ut vix aliud quicquam, memoriâ meâ, provenerit Anglorum Eccleſiae laboranti fru-*

etuosius. Edictum continuo val-
vis appenditur, ne qui codices
illiusmodi legerentur, neve ha-
berentur: quum tantis clamori-
bus propemodum extorti prodiss-
sent; didicere, quicumque nego-
tium attigissent, Patres fuisse
Catholicos, id est, nostros. Ne-
que hoc sibi suisque vulnus infli-
ctum (c) Laurentius Humfredus (c)
tacuit, qui cum Juellum quo ad
cetera sustulisset; unam ei notam
asperxit inconsiderantia, quod Pa-
trum calculos recepisset: quibus-
cum sibi nihil esse commercij,
nec fore, sine ulla circuitione
proloquitur.

Pertentavimus etiam familia-
riter aliquando Tobiam Mat-
theum, qui nunc in concionibus
dominatur, quem propter bonas
artes, & virtutum semina dile-

ximus; ut responderet ingenuè, possétne qui Patres assiduus le-
 ctitaret, istarum esse parium
 quas ille suaserat? retulit, non
 posse, si pariter eos legeret, iisq;
 crederet. Verissimum hoc verbum
 est, neque aliter aut eum nunc,
 aut Mattheum Huttherum, qui
 vir nominatus in paucis, versare
 Patres dicitur; aut reliquos Ad-
 versarios, qui hoc faciunt, senti-
 re arbitrator.

Hactenus ergo securus in hanc
 aciem potui descendere, bellatu-
 rus cum ijs, qui quasi auribus
 lupum teneant, æternam causæ
 maculam cogantur inurere; sive
 recusent Patres, sive deposcant.
 Nam in altero fugam adornant,
 in altero suffocantur.

(a) Acto. 13. 1. Cor. 12. E-
 phes. 4. 1. Cor. 14. (b) S. Dion.

Areop. de quo vide 6. Syn. ac
Adon. & alios. (c) commen.
in 1 13. 17. Deut. Item in c.
Bab. (d) Dial. 5. & 11. (e)
Cen. 2. c. 10. Cent. 1. lib. 2. c.
10. & seq. Instit. 1. 1. c. 13.
num. 29. (f) Cen. 2. cap 5.
Cen. 1. li. 2. ca. 10. & sequen.
(g) Libr. de præsc. con. hæc.
(h) Orat. de cons. secul. (i)
Juel. & c. Causs. dial. 8. & 11.
(k) Cent. 3. c. 4. (l) Cano-
nes pœnitentiæ veteres. (m)
Præfat. in cent. 5. (n) Dial 6.
(o) Beza in Act. Apo. c. 23. v.
3. Test. Stanc. libr. de Trinit.
(p) Libr. cont. Hen. 8. Reg.
Angl. (q) Libr. 22. de Civi.
Dei. c. 8. & ser. de divers. 34.
& seq. (r) Con. ep. Men. quam
vocant funda. ca. 4. (s) Libr.
1. cont. Parmen. (t) Libr. 2.

(u) Libr. 3. (x) Libr. 6. (y) Aug. li. 1. contra Parmen. de unit. cap. 16. & lib. 3. de doct. Christi, cap. 40. (z) Fulgent. lib. 2. ad Monim.

Vide S. Hieron. de Scriptor. Ecclesiæ. Vide epi. Syn. Alexand. ad Felic. 2. (a) Vide ep. D. Amb. ad Episc. Ita. Item ad so. li. 10. ep. 82. Item ser. 91. (b) Au. li. 22. de Civitate Dei, cap. 8. Greg. Tur. lib. de gloria Mart. c. 46. Metaph. Instit. lib. 1. cap. 11. num. 5. (c) Lib. de vita Juelli.

CAPUT VI.

*SEXTA RATIO.
FIRMAMENTA
PATRUM.*

Dum Ministri Patres asper-

nan-

nantur, cum ij maximè scripturis divinis nitantur ; eo ipso quidem unà cum ipsis, etiam ipsas scripturas in legitimo sensu aspernantur: sicque planum faciunt, cum Deo se minimè sentire.

*S*iquibus unquam cordi curaq;
fuit id, quod maximopere fuit
& esse debet, Scrutamini
Scripturas: Joan. 5. facile Prin-
cipes & palmares in hoc genere
sanctissimi Patres extitere. Ho-
rum operâ sumptuque, tot genti-
bus & linguis transcripta Biblia,
& importata sunt. Horum peri-
culis & cruciatibus, erepta de
flammis hostilibus & vastita-
te. Horum laboribus & vigilijs,
omnem in partem enucleata stu-
diosissimè: die noctuque sacras

Literas imbibere, de suggestis omnibus sacras Literas edidere, immensa volumina sacris Literis ditavere, fidelissimis commentarijs sacras Literas explicavere, cibos & inediam sacris Literis condiere, occupati denique sacris in Literis ad senectutem decrepitam pervenere.

Quòd si frequentes ipsi quoque ab auctoritate Majorum, ab Ecclesia praxi, à successione Pontificum, à Concilijs Oecumenicis, à Traditionibus Apostolicis, à cruce Martyrum, à scitis Praesulum, à visis eventisque mirabilibus argumentati sunt; tamen omnium maxime & libentissime sanctarum Literarum testimonia densa conglobant, haec premunt, in his habitant: huic armaturæ fortium, (Cant. 4.) duces ro-

bustis-

busissimi, facta tecta Civitatis Dei, contra nefarios impetus quotidie munientes, optimo jure primas partes, honoratissimasque porrigunt.

Quò magis demiror illam exceptionem Adversarij superbam & fatuam, qui velut aquam in profuente quaritans, sic in Scripturis confertissimis, Scripturarum penuriam objectat. Tantisper se Patribus assensurum dicit, dum sacris Literis adherescunt. Num loquitur ex animo? curabo igitur procedant armati atque stipati Christo, Prophetis, Apostolis, atque omni apparatu Biblico, celeberrimi auctores, antiquissimi Patres, sanctissimi viri, Dionysius, Cyprianus, Athanasius, Basilus, Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus,

Augustinus, Latinusque Gregorius. Regnet in Anglia fides illa, utinam regnet! quam hi Patres amicissimi Scripturarum, ex Scripturis exstruunt. Quas afferunt, afferemus; quas conferunt, conferemus; quod inferunt, inferemus. Placet? exscrea: dic sodes. Minimè verò, inquis, nisi rectè exponant. Quid est hoc ipsum rectè? Arbitratu tuo. Nihil ne pudet labyrinthi?

Ergo cum sperem in Academicis florentissimis, consociatum iri benè multos, qui non pingui Minerva, sed acuto iudicio in has controversias inspecturi sint, & horum responsa nugatoria libraturo; letus hunc diem campi prestolabor: ut qui contra sylvestres tumulos mendiculorum iner-

mium, nobilitatem & robur Ecclesie Christi cogitem educere.

CAPUT VII.

SEPTIMA RATIO.

HISTORIA.

Omniū seculorū historiarū Ecclesiastica, & universales, & certarū gentium, nil nisi vel gesta Catholicorum, vel contra Catholicos molitiones hæreticorum describunt. Dum eam igitur oppugnant Ecclesiam Ministri; eo ipso vel nullam unquam post Apostolos Ecclesiam veram extitisse (re quidem) concludunt, vel se certè ad Ecclesiam minimè pertinere.

Pristinam Ecclesie faciem Historia prisca reteggit. (Generales Historici.) Huc provoco. Certè antiquiores Historici, quos etiam usurpant Adversarij, ferè numerantur: Eusebius, Damasus, Hieronymus, Rufinus, Orosius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Cassiodorus, Gregorius Turonensis, Usuardus, Regino, Marianus, Sigebertus, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus. Quid narrant? Nostrorum laudes, progressus, vicissitudinem, hostes. Imò verò, quod observes diligenter, illi qui dissident à nobis odio capitali, Philippus, Pantaleon, Funecius, Magdeburgici, (Hæreticorum chronica & historia.) cum se ad scribendam vel Chronologiam Ecclesie, vel Historiam appulissent; nisi no-

stro-

strorum gesta colligerent, ac inimicorum Ecclesie nostrae fraudes & scelera coacervarent; mille quingentos annos argumenti vacui pratermitterent.

Cum his considera peculiare certarum Historiographos regionum, qui unius acta cuiusque populi, curiosius, operosiusque scrutati sunt. (Historici certarum gentium.) Ij quasi spartam adepti, quam locupletare modis omnibus & perpolire cuperent; qui ne convivium quidem lautiora, aut manicatas tunicas, aut pugionum capulos, aut inaurata calcaria, talesque minutias, si novitatem saperent, tacere: profecto si quid in religione mutatum, aut à primis degeneratum seculis inaudissent, frequentes memorassent: si non frequentes,

saltem aliqui; si non aliqui, unus aliquis absque dubio. Nullus omnino, neque benevolus nobis, neque malevolus, non modò quicquam tale prodidit, sed nec significavit.

Verbi gratiâ. Dant nobis Adversarij, nec aliter possunt, fuisse Romanam Ecclesiam aliquando Sanctam, Catholicam, Apostolicam: tum cum hæc à Divo

(a) *Paulo promeruisset elogia. (a)*

Vestra fides annunciat in universo mundo: sine intermissione memoriam vestri facio.

(b) *(b) Scio quoniam veniens ad vos in abundantia benedictionis Christi veniam:*

(c) *(c) Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi, vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est.*

(d) *Tum cum ibi (d)*

Paulus in libera custodia disseminaret Evangelium: tum, cum in ea quondam (e) Babylone (e) collectam Ecclesiam Petrus regeret: (f) tum, cum ille Clemens apprimè laudatus ab (g) (g) Apostolo, sederet ad ipsa gubernacula: tum, (h) cum prophani (h) Cæsares, ut Nero, Domitianus, Trajanus, Antoninus, Romanos Pontifices laniarent: tum etiam, vel (i) Calvino teste, cum Damasus, Syricius, Anastasius, Innocentius, clavum tenerent Apostolicum. Hoc enim seculo, nihil adhuc, præsertim Rome, digressos ab Evangelica doctrina liberaliter ille concedit. (i)

Quando igitur hanc fidem tantoperè celebratam Roma perdidit? quando esse desijt, quod antè fuit? Quo tempore, quo

Pontifice, quâ viâ, quâ vi, quibus incrementis, urbem & orbem Religio pervasit aliena? Quas voces, quas turbas, que lamenta progeruit? Omnes orbe reliquo sopiti sunt, dum Roma, Roma inquam, nova Sacramenta, novum sacrificium, novum Religionis dogma procuderet? Nullus existit Historicus, neque Latinus, neque Græcus, neque remotus, neque citimus, qui rem tantam vel obscure jaceret in commentarios.

Ergo perspicuum hoc quidem est, si que nos credimus, Historia multa & varia, nuncia vetustatis, vita memoria loquitur, ac repetit affluenter; que isti obtrudunt, nulla narratio post homines natos, in Ecclesia valuisse commemorit: & Historicos esse

meos, & incursiones adversarias
 esse frigidissimas; quæ nihil mo-
 vere possint, nisi prius receptum
 sit, omnes omnium temporum
 Christianos in spissam perfidiam,
 atque in Gehennæ voraginem cor-
 ruisse, donec Lutherus Boram
 constuprasset.

(a) Rom. 1. (b) Rom. 15.
 (c) Rom. 16. (d) Actor 28. (e)
 1. Petr. 5. (f) Hieron. in c.
 scri. Eccles. & Papias apud
 Euf. 2. histor. 14. (g) Phil. 4.
 (h) Iren. lib. 3. ca. 3. (i) In-
 stit. lib. 4. c. 2. num. 3. & in
 Epistol. ad Sadol. Vide Cocla.
 in Anno 1523.



*RATIO OCTAVA.**PARADOXA.*

Cùm portenta opinionum
 absurdissimarum invexerint
 Ministri de Deo, de Christi
 persona, de hominis natura,
 de peccato, de justitia, de
 Sacramento, de moribus
 Christianis: jure optimo in-
 ferimus, à divinæ verita-
 tis Spiritu eos mini-
 mè gubernari.

*E*Go verò præstantissimi viri,
 cùm de multis hæresibus,
 quedam apud me opino-
 sissimorum portenta reputo, que
 mihi venient expugnanda; me
 ipsum inertia recordarè, con-
 demnem, si cujusquam in expe-

mundo facultatem aut vires ex-
 timescerem. Sit ingeniosus, sit
 eloquens, sit exercitatus, sit o-
 mnium librorum belluo; tamen
 aridus appareat & balbus necesse
 est, cum hæc tam aduata su-
 stentabit. Disputabitur enim, si
 fortè nobis annuent, de Deo, (a) (a)
 de Christo, de Homine, de Pec-
 cato, de Iustitia, de Sacramentis,
 de Moribus. Videro an ausint ad-
 severare quæ sentiunt, quæq; re-
 bus addicti necessarijs divulgant
 inscriptiunculis. Faxo nôrint ista
 (b) suorum Axiomata: Deus est (b)
 auctor & causa peccati, vo-
 lens, suggerens, efficiens, ju-
 bens, operans, & in hoc im-
 piorum scelerata consilia gu-
 bernans. Proprium Dei opus
 fuit, ut vocatio Pauli sic adul-
 teri-

tetium Davidis, Judæque proditoris impietas. *Monstrum hoc, cujus Philippum aliquando puduit; Lutherus tamen, à quo Philippus hauserat, quasi oraculum cæleste miris extollit laudibus, & alumnus suum eo nomine tantum non exæquat Apostolo Paulo. Percontabor etiam quid animi Luthero fuerit, quem Angli Calviniani virum divinitus datum ad orbem illuminandum pronunciant; cum hunc versum demeret supplicationibus Ecclesie: Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis?*

- (c) *Mox ad personam (c) Christi progrediar. Quæram, ista sibi quid velint? Christus Dei filius Deus de Deo, Calvino; Deus ex se, Beza; non est genitus de Patris essentia. Item: Duæ*

constituantur in Christo uniones hypostaticæ: altera animæ cum carne, divinitatis cum humanitate altera.

(d) Locus apud Joannem: Ego & Pater unum sumus, non ostendit Christum Deum Homouision Deo Patri. *Sed & anima mea, inquit Lutherus, odit hoc verbum Homouision. Pergite.* (e) Christus ab infantia non fuit gratiâ consummatus, sed animi dotibus, velut cæteri homines adolevit: usu factus quotidie sapientior, ita ut puerulus ignorantiam laborârit. *Quod perinde est, ac si dicerent, originis labe & vitio sordidatum. Sed cognoscite diriora.* Christus cum orans in horto, sudoribus aquæ manaret & sangui-

(b) nis; sensu damnationis æternæ cohorrui: vocem edidit sine ratione, sine spiritu, vocem doloris, impetu repentinam: quam ut non satis meditatam, celeriter castigavit.

Est ne aliquid amplius? attendite. Christus cum actus in crucem exclamaret: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me! accensus est flammis inferni, desperationis vocem emisit; non aliter affectus, quàm si pereundum ei foret internecone sempiterna. *His etiam, si quid possunt addant: Christus inquit, descendit ad inferos, id est, mortuus gehennam gustavit, nihilominus quàm animæ damnatorum: nisi quoddam sibi restituendus erat.* Quandoqui-

dem

dem enim morte corporeâ nobis nihil profuisset; anima quoque cum morte luctari debuit æternâ, atque hoc modo nostrum scelus suppliciumque dependere. *Ac ne quis fortè suspicetur, istud a Calvino per injuriam obrepisse; idem* (f) (f) Calvinus omnes vos, si qui doctrinam istam solatij plenam exagitâstis, perditos appellat nebulones. *Tempora, tempora, cujusmodi monstrum aluistis? cruor ille delicatus & regius, qui de innocentis Agni corpore lacerato fissoque scaturijt; cujus cruoris una quævis guttula, propter dignitatem Hostia, mille mundos redimere potuisset; nihil humano generi profecit, nisi* (g) mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, (g)

mortem quoque secundam,
 mortem animæ, mortem gratiæ,
 peccati solius & exitiabilis bla-
 sphemia sociam pertulisset? Præ
 hac insania modestus videbitur

(h) Bucerus, quanquam est im-
 pudens, qui infernum in Symbo-
 lo sepulchrum accipit, per Epexe-
 gesin valde præposteram, ac potius
 Tautologiam ineptam atque sto-
 lidam. Anglicani Sectarij, pars
 Calvino idolo suo, pars Bucero
 magno Magistro solent accedere:
 pars etiam submurmurant in hunc
 articulum, ne quid faceat ultra
 molestiæ; quemadmodum sine tu-
 multu penitus eximatur de Sym-
 bolo. Id verò etiam fuisse ten-
 tatum in conventiculo quodam
 Londinensi, memini narrare mi-
 hi, qui interfuit, Richardum
 Chenium miserrimum senem, ma-

le mulctatum à latronibus foris, neque tamen ingressum in paternam domum. Hactenus de Christo.

De homine quid? Imago Dei penitus (i) in homine deleta (i) est, nullâ boni scintillâ superflite: tota natura, quoad omnes animæ partes, ita funditus eversa; ut ne renatus quidem & sanctus, quicquam sit aliud intrinsicè; nisi mera corruptio atque contagio.

Quorsum ista? ut qui sola fide gloriam rapturi sunt; in omnium turpitudinum cæno volutati naturam accusent, virtutem desperent, præcepta deonerent.

Huc (k) Illyricus Magdeburgensium Primipilus, illud suum adjecit immane placitum de originis peccato: quod esse vult,

intimam substantiam animarum: quippe quas post Adami lapsum Diabolus ipse procreet, & in sese transformet. Hoc quoque tritum est in hac fœce: omnia peccata esse paria: sed ita (ne Stoici reviviscant) si Deo iudice ponderentur. Ac si Deus, æquissimus iudex, oneri nostro cumulum potius, quàm levamentum faceret; & id quod non est in re, cum sit ipse iustissimus, exaggeraret. Hæc trutinâ, non levius in Deum severissimè judicantem deliquerit ille caupo, qui gallum gallinaceum, quando non est opus, occiderit; quàm infans ille Sicarius, qui plenus Bezâ, Gallum Heroa Guisium, admirabili virtute Principem, displosâ fistulâ clanculum interemit: quo facinore nihil

vidit

vidit orbis noster, atate nostrâ
funestius, nihil luētiosius.

Sed fortasse, qui jam sunt in
peccati conditione tetrici, ma-
gnificè philosophantur de divina
gratia: que huic malo succurre-
re ac mederi possit. Præclaras ve-
rò (1) isti partes assignant gratiæ,
quam neque infusam cordi-
bus nostris, neque ad resi-
stendum sceleribus validam
esse latrant; sed extra nos
in solo Dei favore collocant:
qui favor non emendet impios,
nec purget, nec illuminet, nec
ditet; sed veterem illam sen-
tinam adhuc manentem atque
fætentem, ne deformis & odiosa
putetur, Deo connivente dissimu-
let. Quo suo plasmate tantoperè
delectantur, ut ne Christus qui-
dem aliter, apud illos gratiâ

(1)

plenus & veritate dicatur; quàm quòd ei Deus Pater mirandum in modum faverit.

(m) *Qua res ergò justitia est? (m)*

Relatio. *Non enim ex Theologicis concinnata virtutibus, fide, spe, charitate, qua animam suo nitore convestiant; sed tantùm occultatio delicti, quam qui solâ fide prehenderit, ille tam de salute certus est, ac si jam pridem interminato Cœli gaudio frueretur.*

Age somniet hoc: sed unde constare poterit de futura perseverantia; (n) qua qui caruit, exivit infelicissimus, licèt ad tempus purè pièque justitiam coluisset?

(o) *Imò verò hæc tua fides, (o) Calvinus ait, nisi tuam tibi perseverantiam firmè pronunciet, ut hallucinari ne-*

queas,

queas; tanquam inanis & languida sperneretur. *Agnosco discipulum Lutheri.* Christianus, inquit ille, etiam volens, non potest salutem perdere, nisi nolit credere.

Ad Sacramenta festino. Nullum, nullum, non duo, non unum, o sancte Christe, reliquerunt. Ipsorum quippe panis, venenum est. *Baptismus, etsi adhuc verus est, tamen ipsorum iudicio nihil est, (p) non est unda salutis, non est canalis gratiæ, non derivat in nos Christi merita; sed significatio duntaxat salutis est. Itaque nihilo pluris Baptismum Christi, quoad naturam rei, quàm Joannis fecere cæremoniã. Si habeas, rectè: si ca-*

reas, nihil damni: crede, salvus es, antequam abluâre.

Quid ergò parvuli, qui nisi juventur virtute Sacramenti, sua fide miselli nihil assequuntur?

Potius quàm Sacramento Baptismatis quicquam tribuamus, *inquiunt Magdeburgici*, demus inesse fidem ipsis infantulis, quâ ferventur; cujus fidei pullus quosdam abditos intelligant *ipsi: qui vivant, nec ne, nondum intelligunt. Durum.*

Si hoc adeò durum est, Lutheri pharmacum auditote. Præstat, inquit, omittere, quandoquidem nisi credat infans, ne quicquam lavatur. Hec illi quidem, ancipites animo, quidnam enuncient categoricè. Ergò Balthasar Pacimontanus, distributor interveniat: qui parens

Anabaptistarum, cum parvulis motum fidei non posset affingere; Lutheri cantiunculam approbavit, & paedobaptismum ejiciens è templis, neminem nisi adultum fonte sacro decrevit abluere. Ad reliqua Sacramenta quod attinet, quamvis illa bestia multiceps horrendas eructet contumelias; tamen, quia quotidiane jam sunt, & callum auribus obduxerunt, hic prætereo.

Restant Hereticorum de vita & moribus frustra nocentissima, qua (q) Lutherus evomit in chartas: ut ex unius pectoris impuro gurgustio pestem Lectoribus inhalaret. Audite patienter, & erubescite, & mihi date veniam recitanti. Si nolit uxor aut non possit, veniat ancilla. Siquidem res uxoria tam est

cuique necessaria, quàm esca,
potus, somnus. Matrimoni-
um est virginitate multò præ-
stantius. Eam Christus, eam
Paulus dissuaserunt homini-
bus Christianis. *Sed hæc for-
tasse propria Lutheri sunt. Non
sunt. Etiam nuper à meo Char-
co, sed miserè timidèq, defen-
duntur. Vultis ne plura? quid ni?*
quantò sceleratior es inquit,
tantò vicinior gratiæ. Omnes
actiones bonæ peccata sunt:
Deo iudice, mortifera; Deo
propitio, leuiuscula. Nemo
malum suapte voluntate co-
gitat. Decalogus nihil ad
Christianos. Opera nostra
Deus nequaquam curat. Soli
rectè participant Cœnâ Do-
minicâ, qui tristes, afflictas,
perturbatas, confusas, errati-

cas apportant conscientias. Confitenda crimina sunt, sed cuilibet; qui si te vel joco absolverit, modò credideris, absolutus es. Legere preces horarias non est Sacerdotum, sed Laicorum. Christiani, liberi sunt à Statutis hominum. *Satis superq; lacunam istam commôsse videor. Jam finio. Nec verò putetis iniquiorem esse me, qui Lutheranos & Zuinglianos promiscuè coarguerim. Nam isti* (r) *memores à quo profeminati* (r) *sint, inter se fratres & amici volunt esse; adeoque gravem interpretantur injuriam, cum in ulla re præter unam discriminantur.*

Equidem non sum tanti, ut vel mediocrem locum mihi sumam in selectis Theologis, qui

hodiè bellum heresibus indixere: sed hoc scio, quantuluscumque sum, periclitari me non posse; dum Christi gratiâ fultus, adversum talia commenta, tam inuisa, tam insulsa, tam bruta, cælo terræque iuvantibus præliabor.

De Deo (a) Cal. Inst. lib. 1. cap. 18. li. 2. c. 4. li. 3. cap. 23. & 24. Pet. Mar. in 1. San. 2. Melanchth. an. in ca. Rom. 8. Wittemb. 1524. Sic docet Luth. in affer. 36. & in resol. aff. 36. & in li. de ser. arbit. Præfat. in anno. Phil. in epi. ad Rom. in Apol. Eccl. Anglic. Vide enc. pro ann. 1543. De Christo. (b) Instit. lib. 1. c. 13. nu. 25. & 24. Beza in Hes. Beza contra Smidel. li. de unita. hyposta. dua. in Christ. nat. (c) Cal. in Joan. 10. (d)

Luth.

Luth. cont. Laton. (e) Buc. in
 Lu. 2. Cal. in har. eu. Luc.
 Los. Item Melan. in evan. do. i.
 post Epiph. Marlorat. in Matt.
 26. Cal. in ar. Evan. Bren. in
 Luc. part. 2. hom. 65. & in Ca-
 tec. an. 1551. & in Jo. hom. 54.
 Cal. in har. evang. In vand. sen-
 ten. Loff. in Matt. 26. Schmid.
 Conci. de pass. & cœna Dom
 Æepinus com. in Pl. 16. (f) Cal-
 vin. Instit. lib. 2. cap. 16. Brent.
 in Catech. 1551. Instit. lib. 2.
 c. 16. num. 12. (g) 1. Tim. 2.
 Apoc. 2. (h) Bucer. in Matt.
 37. De homine. (i) Illyr. in var.
 li. de Ori. pecc. Cal. Insti. lib. 2.
 c. 3. Sarcer. de Conf. ver. Eccl.
 Æepin. & imb. & pecc. Sanct.
 Kem. contra censu. Cal. De pec-
 cato. (k) Illyr. in var. libr. de
 Orig. pec. Vide Heshuf, in ep.
 ad

ad Illyr Calvi. in Antidot. Con-
cil. Triden. Idem docuerat Wi-
cles. apud Walden. lib. 2. de Sa-
cra. cap. 154. De gratia. (l) Luth.
in Resp. contra Lovan. Bucer. in
Joan. 1. Wald. in nata. Christi.
Brent. ho. 12. in Joan. Cent. lib.
1. cap. 4. De justitia. (m) Hesh.
de just. in res. ad 115. object.
Illyr. in Apol. conf. Augus. c.
6. de Justifi. Cal. Insti. lib. 3. ca.
2. num. 28. & 42. (n) Matth.
12. Luc. 11. (o) Calv. Instit.
lib. 4. ca. 15. nu. 2. & 10. & 7.
Cent. 1. lib. 1. c. 10. Luth. lib.
de Cap. Baby. Magd. cent. 2. &
5. cap. 4. (p) Luth. advers.
Cochlæ. Item episto. ad Melan.
22. & in ep. Walden. Anaba-
ptistæ. Apoc. 13. De moribus.
(q) Ser. de Matri. & Lib. de vit.

cont.

cont. & asse. ar. 16. lib. de vo.
Evan. Lib. de vo. Monasticis.
Charc. li. in Cens. suum. Lut.
ser. de Pet. Item in asper. art. lib.
32. libr. de ser. arb. & sermon.
de Moyf. Item lib. de capt. Bab.
c. de Euch. de Ordine de Baptif.
(r) Apol. Eccle. Angl.

*CAPUT IX.**RATIO NONA.**SOPHISMATA.*

Quoniam præcipua firma-
menta sua in Sophismatis ha-
bent Ministri; dum vel umbras
sibi ipsi fingunt, quas oppugnent
in Ecclesia; vel inani nunc logo-
machia, nunc homonymia,
nunc circulatione, se suaque

tuen

tuentur: ex eo ipso quidem factis constat, nihil solidæ veritatis apud ipsos reliquum esse.

SCitum est, inter cæcos luscum regnare posse. Apud rudes valet sepe fucata disputatio, quam Schola Philosophorum exhibilat. Multa peccat Adversarius in hoc genere; sed quatuor fallacijs plerunque consuitur: quas in Academia malim, quàm in trivio retexere.

Primum vitium Schiamachia est, que auras & umbras magno conatu diverberat. Hoc pacto: contra cælibes juratos, & votos in castimoniam, quòd nuptia bona sint, virginitas melior; afferuntur Scriptura loquentes honorificè de conjugio. Quem feriunt? (1. Cor. 7.) Contra meri-

tum hominis Christiani, inunctum Christi sanguine, alioqui nullum; promuntur testimonia, quibus iubemur, nec natura, nec legi, sed sanguini Christi fidere. Quem refellunt? In eos qui colunt cœlites, ut famulos Christi maxime gratiosos; citantur integra pagella, quæ vetant colere multos Deos. Ubînam sunt? Hujusmodi argumentis, quæ apud Hereticos infinita reperio, nobis esse detrimento non poterunt; vobis esse fastidio poterunt.

Aliud vitium Logomachia est, quæ sensa deserens, loquaciter cum verbo litigat; Invenias mihi Missam, inquiunt, aut Purgatorium in Scripturis: Quid ergo? Trinitas, Homoousios, Persona, nusquam sunt in Biblijs; quia voces istæ non sunt? Affi-

ne est huic peccato, Literarum
 aucupium: quum neglectâ con-
 suetudine & mente loquentium,
 qua vita vocabuli est, adversus
 Elementa contenditur. Nempe sic
 ajunt: Presbyter nihil est Græ-
 cis aliud, nisi Senior: Sacra-
 mentum, quodvis mysterium.

Ceterum acutè D. Thomas, ut
 omnia, (In 1. part. q. 13. art. 2.
 ad 2.) in vöcibus, inquit, vi-
 dendum non tam ex quo, quàm
 ad quid sumantur.

Tertium Homonymia est, longè
 latèque patens. Ut Quorsum or-
 do Sacerdotum, (Apoca. 5.)
 cùm Joannes omnes nos vo-
 caverit Sacerdotes? Etiam hoc
 addidit. Regnabimus super ter-
 ram. Quorsum ergo Reges? Item.
 Propheta celebrat jejunium spi-
 ritale, (Esaï. 48.) hoc est, ab in-

vete-

veteratis criminibus abstinentiam. Valeat ergo ciborum delictus & dierum præscriptio. Siccine? Igitur insanierunt Moyses, David, Helias, Baptistes, Apostoli, qui biduo, triduo, vel hebdomadis inediam terminarunt: quæ quidem, ut à crimine, debebat esse perpetua. Hoc quale sit, jam vidistis: propero.

Quartum his adjicitur, Circulatio. In hunc modum: Da mihi notas, inquam, Ecclesie. Verbum Dei, & purissima Sacramenta. Hæcine sunt apud vos? Quis dubitat? Ego verò pernego. Consulte verbum Dei. Jam consului, minusq; vobis, quàm antè faveo. Ah, tamen planum est. Proba mihi. Quia nos ne latum quidem unguem discedimus à verbo Dei. Ubi est acumen tuum?

*semperne capies pro argumento
 illud ipsum, quod ponitur in que-
 stione? Quoties hoc jam inculco?
 Non tu evigilas? Num faces ad-
 movende sunt? Dico, à te perpe-
 ram exponi verbum Dei: testes
 habeo quindecim etates: sta sen-
 tentie non mea, non tue, sed
 harum omnium. Stabo senten-
 tiæ vèrbi Dei: Spiritus ubi
 vult, spirat. (Joan. 3.) Eccum,
 quos gyros, quas rotas fabricat?
 Hic nugator tot verborum, atque
 Sophismatum architectus, nescio
 cui formidolosus, esse queat;
 molestus erit fortasse. Molestiam
 vestra prudentia sublevabit, for-
 midinem res eripuit.*

CAPUT X.

RATIO DECIMA.

OMNE GENUS TESTIUM.

Quoniam quocunque nos
vrtamus, Catholicæ quidem
religionis testimonia plurima
invenimus, nulla verò Evange-
licorum; sive inquam Beatos
cœlites contemplemur, sive da-
mnatos inferni, seu Judæos Ec-
clesiam persequentes, seu genti-
les, seu Turcas, seu hæreticos,
seu terras denique & nationes
integras ad Christum conver-
sas, hisque similia alia: meritò
concludimus, extra unam Ec-
clesiam Catholicam, nullam
salutis viam super-
esse.

Hæc

HÆc erit vobis directa via,
 ita ut stulti non errent
 per eam. Esai. 35. *Quis*
enim quamvis hebes in plebecula,
dummodo salutis cupidus, parum-
per attenderit; semitam Ecclesia
tam egregiè complanatam, non
videat, non teneat, vepres &
cautes & avia detestatus? Erunt
hæc etiam rudibus explorata, si
cut Esaias vaticinatus est: vobis
igitur, si voletis, exploratis-
sima.

Theatrum universitatis rerum
 ponamus ob oculos; quidquid est
 usquam peragremus: omnia nobis
 argumentam suppeditant. Eamus
 in cælum: (a) Rosas & Lilia
 contemplemur; purpuratos nempe
 Martyrio, candidatos innocen-
 tiâ. (b) Romanos inquam Ponti-
 fices, tres & triginta continen-

ter occisos : Pastores terris omni-
 bus, qui suum pro Christi nomi-
 ne sanguinẽ oppignerarunt : Gre-
 ges fidelium, qui Pastorum vesti-
 gijis institere. (c) Divos omnes (c)
 cœlites, qui turbæ hominum, pu-
 ritate & sanctimonia præluxere,
 Nostros hîc vixisse, nostros hinc
 emigrasse reperias. Noster fuit,
 ut parvula delibemus, ille Mar-
 tyrj sitientissimus Ignatius: (d) (d)
 qui in rebus Ecclesiæ neminem,
 ne regem quidem æquavit Epi-
 scopo : qui traditiones quasdam
 Apostolicas, quarum testis ipse
 fuerat, ne dilaberentur, scripto
 mandavit. Noster Anachoreta
 (e) Telesphorus : (qui jejunium (e)
 Quadrag-simæ sancitum ab A-
 postolis observari severiùs jussit.
 Noster (f) Ireneus, qui à suc- (f)
 cessione Cathedræque Romana

fidem Apostolicam declaravit. Noster etiam Victor Pontifex, qui Asiam edicto (g) coercuit universam: quod cum aliquibus, atque etiam huic Irenæo viro sacratissimo videretur asperius; nemo tamen attenuavit, ut exoticam potestatem. (h) Noster Polycarpus, qui super questione Paschatis Romam adiit; cuius ambustas reliquias Smyrna collegit, anniversario die ritūque legitimo, suum Episcopum venerata. Nostri (i) Cornelius & Cyprianus, aureum par Martyrum, ambo magni Præsules: sed major ille, qui Romanus Africanum errorem resciderat; hic nobilitatus observantiâ, quâ majorem est prosequutus, amicissimum sui. Noster Sixtus, cui ad aram solennibus sacris operanti mini-

strârunt è Clero Septemviri.
 Noster Laurentius hujus Archi-
 diaconus, quem Adversarij de
 suis fastis ejiciunt; quem ante
 mille ducentos annos, vir consu-
 laris (k) Prudentius sic ornavit: (k)

*Quæ sit potestas credita,
 Et muneris quantum datum,
 Probant Quiritum gaudia,
 Quibus rogatus annuis.
 Hos inter, ò Christi decus,
 Audi & Poëtam rusticum,
 Cordis fatentem crimina
 Et facta prodentem sua.
 Audi benignus supplicem
 Christi reum Prudentium.*

*Nostre, virgines illæ perbea-
 te: (l) Cecilia, Agatha, Ana- (l)
 stasia Barbara, Agnes, Lucia,
 Dorothea, Catherina, quæ decre-
 tam pudicitiam adversus & ho-
 minum & Demonum tyrannidem
 firmaverunt. Nostra Helena,*

quam Dominica Crucis inventio celebravit. Nostra Monica, que moriens orari & sanctificari pro se mortua, ad altare Christi religiosissime flagitavit. Nostra Paula, que ex urbano Palatio & optimis prædijs, in speluncam Bethlehemiticam, tantis itineribus peregrina cucurrit; ut ad Christi vagientis cunabula delitesceret. Nostri Paulus, Hilarion, Antonius, seniculi solitarij. Noster Satyrus, Ambrosij germanus frater; qui tremendam illam hostiam circum se gestans in orario, naufragus insiliit in Oceanum, & fide plenissimus enatavit. Nostri Nicolaus & Martinus Episcopi; exerciti vigilijs, paludati cilicijs, jejunio pasti. Noster Benedictus, tot Monachorum Pater. Chiliadas istas decennio non exe-

que-

querer. Sed nec illos repeto, quos in Ecclesia Doctoribus antè posueram. Memor sum brevitatis meae. Petat ista qui volet, non solùm ex abundantia veterum historia, sed multò etiam magis ex gravissimis auctoribus; qui penè singuli Divos singulos memoriae reliquerunt. Renunciet mihi de Christianis illis antiquissimis & beatissimis, quid autumet? utrius doctrinae fuerint, Catholica an Lutherana? Testor Dei soliùm & illud tribunal, ad quod stabo rationem Rationũ harum, & dicti facti redditurus; aut nullum cælum esse, aut nostrorum esse: illud execramur; hoc ergò defigimus.

Nunc è contrario, si libet inspiciamus in Tartara. Creman-
tur incendio sempiterno: qui?
Judei: quam Ecclesiam averfati?

Nostram: qui? Ethnici: quam
 Ecclesiam crudelissime persecu-
 ti? Nostram: qui? Turcæ: quæ
 templa demoliti? Nostra: qui?
 Heretici: cujus Ecclesia peruel-
 les? Nostra. *Quæ enim Eccle-
 sia præter nostram, (Matt. 16.)
 omnibus Inferorum portis se op-
 posuit?*

*Cùm pulsus Hebrais, Christia-
 ni succrescerent Hierosolymis;
 Deum immortalem, qui concur-
 sus hominum ad loca Sacra fuit?
 quæ urbis Religio? quæ sepulchri,
 quæ præsepis, quæ crucis, quæ mo-
 numentorum omnium, quibus ve-
 lut exuvijs mariti, Ecclesia spon-
 sa delectatur? Hinc manavit in
 nos Judæorum odium, ferum &
 implacabile. Queruntur etiam
 nunc, majores nostros majoribus
 suis existio fuisse. A Simone*

Mago & Lutheranis nullum
ictum acceperunt.

In Ethnicis violentissimi fuê-
re, qui toto Imperio, trecentis
annis, per intervalla temporum,
erumnosissima Christianis suppli-
cia machinati sunt. Quibus? Pa-
tribus & filiis nostræ fidei. Co-
gnoscite vocem Tyranni, qui Di-
vum Laurentium torruit in cra-
ticula.

Hunc esse vestris Orgijs

Morémque & artem proditura est:

Hanc disciplinam fœderis,

Libent ut auro Antistites.

Argenteis scyphis ferunt,

Fumare sacrum sanguinem:

Auróque nocturnis sacris,

Astare fixos cereos.

Tunc cura summa est fratribus

(Ut sermo testatur loquax)

Offerre, fundis venditis,

Sestertiorum millia.

Addicta avorum prædia

Fædis sub auctioribus

Successor ex hæres gemit,
Sanctis, egens, parentibus.

Hæc occuluntur abditis

Ecclesiarum in angulis:
Et summa pietas creditur,
Nudare dulces liberos.

Deprome thesauros, malis
Suadendo quos præstigijs
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis specu.

Hoc poscit usus publicus,
Hoc fiscus, hoc ararium,
Ut dedita stipendijs
Ducem juvet pecunia.

Sic dogma vestrum est audio;
Suum quibusque reddito:
En Caesar agnoscit suum
Numisma, nummis inditum.

Quod Caesaris scis, Casari
Da: nempe justum postulo.
Ni fallor, hæud ullam tuus
Signat Deus pecuniam.

Nec cum veniret, aureos
Secum Philippos detulit:
Præcepta sed verbis dedit
Inanis à marsupio.

Impiete dictorum fidem,
Quæ vos per orbem venditis:

Nummos libenter reddite;

Estote verbis divites.

Quis videtur? In quos furit?
 Cujus Ecclesie sacra, lychnos, ri-
 tus, ornamenta convellit? Cui pa-
 tellas aureas, & argenteos cali-
 ces, & sumptuosa donaria, & o-
 pulentam gazam invidet? pro-
 fectò Lutherizat. Quod enim a-
 liud velum suo latrocinio nostri
 Nemrodes obtenderunt; cum
 depecularētur Ecclesias, & Christi
 patrimonium dissiparent? Contra
 verò magnus ille Constantinus,
 Χριστομασίωv terror, quam Ec-
 clesiam tranquillavit? Illam, cui
 Pontifex (m) Sylvester præfuit;
 quem in Soracte latitantem ac-
 cersit, ut ejus operâ, nostro Ba-
 ptismate tingeretur. Quibus au-
 spicijs victor? signo Crucis. Quâ
 matre gloriosus? Helena. Qui-

bus se Patribus adjunxit? Nice-
 nis. Cujusmodi? ut Sylvestro, ut
 Marco, ut Julio, ut Athanasio,
 ut Nicolao. Cujus se precibus com-
 mendavit? (n) Antonij. Quam
 sellam postulavit in Synodo? ul-
 timam. O quanto regalior hac
 sede, quam qui Regis titulum non
 debitum ambièrunt! Singula nar-
 rare longum est; sed ex his duo-
 bus, altero nobis infestissimo, al-
 tero nobis amicissimo, licebit sin-
 gula conicere, quæ sunt horum
 simillima. Etenim, ut nostrorum
 illa fuit Episcopi turbulenta; sic
 nostrorum hæc evasit divina Ca-
 tastrophæ.

Turcica videamus. Mahometes,
 & Sergius Monachus apostata, in
 profundo barathro jacent ululan-
 tes, & suis & posterorum scele-
 ribus onusti. Hæc portentosa &

effe-

efferata bellua, Saraceni, Turca,
 nisi à nostris ordinibus militiae
 Sacrae, nisi à nostris Principibus
 & populis accisa fuisset ac repres-
 sa; per Lutherum quidem, cui
 gratias hoc nomine Solymanus
 Turcus literis egisse dicitur, &
 per Lutheranos Regulos (quibus
 Turcorum progressio letabilis
 existimatur) hac inquam Eryn-
 nis furiosa & exitiosa mortali-
 bus, totam jam depopularetur,
 & vastaret Europam: neque in-
 diligentius altaria & signa cru-
 cis, quam ipse Calvinus everte-
 ret. Ergò nostri hostes illi sunt
 proprii, utpotè nostrorum indu-
 striâ, a Christianorum jugulis re-
 pulsî.

Despectemus in Hæreticos, fe-
 ces & folles & alimenta Gehe-
 nae. Primus occurrit Simon Ma-

gus. Quid ille? Eripibat homini liberam voluntatem: solam fidem percrepabat. Mox Novatianus. Quis? Antipapa Cornelio Pontifici Romano: hostis Sacramentorum Pœnitentiæ & Chrismatis. Deinde Manes Persa. Hic docebat, Baptismum salutem non conferre. Post Aërius Arrianus. Preces damnabat pro mortuis, confundebat Episcopos Sacerdotes. Hinc Aëtius, solam & ipse fidem personabat: cognominatus Atheos, non minus quam Lucianus. Sequitur Vigilantius, qui Divos orari non letebat: ac Jovinianus, qui virginitatem & nuptias æquiparabat. Denique colluvies universa: Macedonius, Pelagius, Nestorius, Eutyches, Monothelita, Iconomachi, ceteri; quibus Lu-

therum & Calvinum posteritas
 aggregabit. Quid isti? Omnes
 mali corvi, eodem ovo geniti, ab
 Ecclesie nostrae praesulibus desciverunt; ab illis evicti, & exinaniti sunt.

Deseramus Avernum, reddamur terris. Quocumque me oculis & cogitatione convertero, sive Patriarchas intueor & Sedes Apostolicas, sive Antisites ceterarum gentium; sive laudatos Principes, Reges, Caesares, sive Christianorum cujusque Nationis initia; sive ullum judicium vetustatis, aut lumen rationis, aut honestatis decus: nostra fidei serviunt & suffragantur omnia. (o) (o)

Testis Romana successio, in qua semper Ecclesia (ut cum (p) Augustino loquar) Apostolicae Cathedralae viguit Principatus. Te-

stes

stes illa reliqua Sedes Apostolica; in quas hoc nomen insignitè convenit; quòd ab ipsis Apostolis, horumve auditoribus exadificatae fuerint.

(9) Testes ubivis gentium (9) pastores, loco diffusi, Religione nostra concordés. Ignatius & Chrysostomus Antiochia: Petrus, Alexander, Athanasius, Theophilus Alexandria: Atacarius, & Cyrillus, Hierosolymis: Proclus Constantinopoli: Gregorius & Basilus, in Cappadocia: Thaumazurgus, in Ponto: Smyrne, Polycarpus: Justinus, Athenis: Dionysius, Corinthi: Gregorius, Nisse: Methodius, Tyri: Ephreemus, in Syria: Cyprianus, Optatus, Augustinus, in Africa: Epiphanius, in Cypro: Andreas, Crete: Ambrosius, Paalinus,

Gaudentius, Prosper, Faustus, Vigilius, in Italia: Irenaeus, Martinus, Hilarius, Eucherius, Gregorius, Salvianus in Gallia: Vincentius, Orosius, Hildephonsus, Leander, Isidorus, in Hispania: In Britannia, Fugatius, Damianus, Justus, Mellitus, Beda. Denique, ne ambitiosus videar in nominibus: quaecunque vel opera vel fragmenta supersunt eorum, qui disjunctissimis terris Evangelium seuerunt; omnia nobis unam fidem exhibent, quam hodie Catholici profiteamur. Christe, quid cause tibi afferam, quò minus me de tuis extermines; si tot luminibus Ecclesiae, tenebricosos homulos, paucos, indoctos, dissectos, improbos, antetulerò?

Testes item Principes, Reges, Caesares, horumque Respub. quorum

Et ipsorum pietas, Et ditionum
populi, Et pacis bellique discipli-
na, se penitus in hac nostra do-
ctrina Catholica fundaverunt.
Hic ego quos ab Oriente Theodo-
sios, quos ab Occidente Carolos,
quos Edouardos ex Anglia, Lu-
dovicos è Gallia, Hermingildos
ex Hispania, Henricos è Saxonia,
Wenceslaos è Boëmia, Leopoldos
ex Austria, Stephanos ex Hun-
garia, Josaphatos ex India, quos
orbe toto Dynastas atque Topar-
chas possim arcessere; qui exem-
plo, qui armis, qui legibus, qui
solicitudine, qui sumptu, nostram
Ecclesiam nutrierunt? Sic enim
precinuit Esaias: Erunt Reges
nutricij tui, & Reginae nutri-
ces tuæ. (Esai. 49.) Audi Eli-
sabetha Regina potentissima: ti-
bi tantus Propheta canit, te tuas

partes edocet. Narro tibi: Calvinum, & hos Principes, unum caelum capere non potest. His ergo te Principibus adjunge, dignam majoribus, dignam ingenio, dignam literis, dignam laudibus, dignam fortuna tua. Solum hoc de te molior ego, & moliar, quicquid me fiet: cui, tanquam hosti capitis tui, toties jam isti patibulum ominantur. Salve bona crux. Veniet, Elisabetha, dies ille, ille dies, qui tibi liquidò commonstrabit; utri te dilexerint, Societas JESU, an Lutheri progenies. Pergo.

Testes jam omnes ora, plebag³ mundi, quibus Evangelica tuba post Christum natum insonuit. Parümne hoc fuit, Idolis ora claudere, Dei regnum Gentibus importare? Christum Lutherus, Ca-

tholi-

tholici Christum loquimur. Num
 divisus est Christus? minimè. (1.
 Cor. 1.) Aut nos, aut ille falsum
 Christum loquimur. Quid ergò?
 Dicam. Christus ille sit, & illo-
 rum sit, quo (1. Reg. 5.) Dagon
 invec̄to cervices fregerit. Noster
 Christus operà nostrorum uti vo-
 luit; cùm Joves, Mercurios,
 Dianas, Phœbadas, & illam no-
 ctem seculorum atram, Erebum-
 que tristem, è tot populorum cor-
 dibus relegaret. Non est otium
 longinqua perquirere. Finitima
 tantùm atque domestica specule-
 mur. Hiberni ex Patricio, Scoti
 ex Palladio, Angli ex Augusti-
 no, Romæ sacratis, Româ missis,
 Romam venerantibus, fidem aut
 nullam, aut certè nostram, id est
 Catholicam insuxerunt. Res aper-
 ta. Curro.

Testes

Testes Academiae: testes legum
 tabulae; testes vernaculi mores
 hominum: testes electio Caesarum,
 & inauguratio: testes Regum ri-
 tus & inunctio: testes equitum
 ordines, ipsaque chlamides: te-
 stes fenestrae, testes numi: testes
 Urbanae portae, domusque civica:
 testes avorum fructus, & vita:
 testes res omnes & recule: nul-
 lam in orbe religionem nisi no-
 stram, imis unquam radicibus in-
 sedisse. Quae mihi cum suppete-
 rent, & certe sic afficerent medi-
 tantem; ut his omnibus nunci-
 um remittere Christianis, & con-
 sociari cum perditissimis quibus-
 que, videretur insolentis insaniae:
 non diffiteor, animatus sum, & in-
 census ad conflictum; in quo nisi
 Divi de caelo deturbentur, &
 superbus Lucifer Caelum recupe-
 ret,

ret, cadere nunquam potero. Quo mihi sit equior Chareus; qui me tam immaniter concepit; si hanc animulam peccatricem, quam tanto Christus emit, via tuta, via certa, via regia, malui credere; quàm Calvini scopulis, dumetisve suspendere.

(a) Aug. ser. 37. de Sanct. (b) Dam. in vit. Pont. Rom. (c) Hier. in cat. Scrip. (d) in Epi. ad Smir. Euseb. lib. 3. cap. 30. (e) Dam. in vit. Thes. to. 1. con. c. stat. d. 5. (f) Lib. 3. c. 3. (g) Euf. 5. hi. 24. (h) Euf. 4. hist. 13. & 14. Suidas. (i) Euf. 7. hist. 2. interp. Ruff. (k) Pru. in Hym. de S. Laur. Vide Au. Ser. 1. de S. Laur. Am. lib. 1. off. cap. 4. li. 2. off. 28. Leo. Ser. in die S. Laur. (l) Metap. Am. ser. 90. to. 3. & lib. 1. de vir. Ado. Tre. in Mart.

Euf. 8. hi. 17. Ruff. li. 1. c. 8. Ex
 Aug. li. 9. conf. c. 7. usque ad 13.
 Hier. in Epi. Paul. & Cath. Atha-
 nas. in vita S. Anton. Amb. in
 orat. fu. de Satyro. Joa. Diac. Se-
 ver. Sulpit. Metaphr. Gre. lib. 2.
 Dia. Vide Tomos Suriij. Euseb.
 4. hist. 5. Hier. in epi. Paulæ &
 in epi. ad Marcel. & passim in ep.
 Leo ser. de D. Lauren. Prud. in
 Hym. de S. Laur. (m) Dam. in
 Syl. Zonaras. Cedr. Euf. libr. 2.
 de vita cont. c. 7. 8. 9. Sozom.
 lib. 1. c. 9. (n) Athan. in vita S.
 Anton. Theodo. libr. 1. histo. ca.
 7. Zonaras Vide Volat. Jovium.
 Æmil. 1. 8. Blond. li 9. d. 1. Hæ-
 retici. Clem. lib. 1. recog. Iren.
 li. 1. c. 2. Cyp. Ep. ad Jubatam
 & libr. 4. ep. 2. Theodo. de fab.
 Hæret. Aug. hæ. 46. 53. 54. E-
 piph. hæ. 76. Socrat. li. 2. cap.

28. Hier. in Jov. & Vigil. Aug.
hære. 82. (o) Sedes Apostolica.
(p) Epi. 162. Vide Ter. de præ-
scr. Aug. li. 2. de Doctr. Christ.
c. 8. (q) Hier. in Cat. scrip. Ec-
cle. & alij.

CONCLUSIO.

Habetis à me florentes Aca-
demici, hoc munusculum,
contextum operis in itinere
subcisiuis. Animus fuit, & pur-
gare me vobis de arrogantia, &
satisfacere de fiducia; & interim,
dum ab Adversarijs, unà me-
cum ad Scholas invitemini, que-
dam apponere degustanda. Si
equum, si tutum, si honestum du-
citis, haberi Lutherum, aut Cal-
vinum, Canonem Scripturae, Men-
tem sancti Spiritus, Normam Ec-
clesiæ, Conciliorum, Patrumque

Pedagogum, omnium denique testium & seculorum Deum; nihil est quod sperem, vobis Lectoribus vel Auditoribus: Sin estis ij, quos apud animum formavi meum; Philosophi, oculati, amatores veri, simplicitatis, modestiae, hostes temeritatis, nugarum, sophismatum; facile diem in aprico videbitis, qui dieculam angustâ rimâ dispicitis. Dicam liberè, quod meus in vos amor, & vestrum periculum, & rei magnitudo postulat. Non hoc nescit Diabolus, vos istam lucem, si quando cæperitis oculos attollere, conspecturos. Cujus enim stuporis fuerit, antiquitati Christianae Hammeros & Charcos anteponere? Sed sunt quaedam illecebrae Lutheranae, quibus suum ille regnum amplificat; quibus ille tendiculis

hama-

hamatus, multos jam vestri ordinis inescavit. Quenam? Aurum, gloria, delicia, veneres: contemnite. Quid enim aliud ista sunt nisi terrarum ilia, calidus aer, popina vermium, bella sterquilinia? Spernite. Christus dives est, qui vos alet: Rex est, qui ornabit: lautus est qui satiabit: speciosus est, qui felicitatum omnium cumulos largietur. Huic vos adscribe militanti; ut cum eo triumphos, vere doctissimi, vereque clarissimi reportetis. Valete. Cosmopoli.





VITA & MARTYRIUM

EDMUNDI

CAMPIANI,

Presbyteri Societatis JESU.



Edmundus Campianus,
 Londini Angliæ Me-
 tropoli, honesto loco
 natus, 25. Januarij,
 1539. ut aliqui referunt; vel ut
 alij 1540. quo Romæ Societas JE-
 SU cœpit esse; ex Anglia, Henrico
 Rege pellente, omnes Religioſæ
 Familiæ abesse. Adolescens, in
 Academia Oxoniensi, literis quæ
 ibi tradebantur omnibus, & gra-
 vioribus etiam disciplinis per-
 politus, dicendi in primis laude

inclaruit: complurium Virorum
Illustrium exequijs, oratione co-
honestatis; etiam qui Reginam
Elisabetham, ab ea in Crucem
postmodum agendus, nomine
Academiae salutaret, unus omni-
um delectus fuit. Publica omnia
Academiae munia, summa cum
approbatione obivit. Et quam-
vis in Fide Catholica constans,
oblato à Regina favores, ac
Pseudo-Ecclesiasticas Dignita-
tes, diu magnanimus repudiavit:
deinde tamen Condiscipulorum
consuetudine, & Richardi Che-
næi Glocestriensis Episcopi fa-
miliaritate captus, Diaconatu e-
tiam Hæretico se initiari passus
est; in ipso nefariae consecratio-
nis ritu, inquiete mirabili & fu-
rijs exagitatam confessus. Ergo
ad expiandum hoc scelus, in Hy-
ber-

berniam ocys contendit; cu-
 jus etiam Provinciae Historiam,
 commentario elegantissimo illu-
 stravit. In Duacensi postea An-
 glorum Catholicorum Semina-
 rio, cui Alanus præerat, Di-
 vinas in literas & Theolo-
 giam incumbens, hujus Lau-
 ream in ea celebri Academia re-
 cepit. Numquam tamen à sa-
 crilego illo Diaconatu suscepto,
 perfectâ animi malaciâ potitum
 se, dicere auditus; donec in So-
 cietatem JESU, quam Romæ se
 obtenturum divinitus antè di-
 dicerat, cooptaretur: id quod an-
 no 1573. evenit. Româ in Au-
 striacam Societatis JESU Pro-
 vinciam, quæ tunc Bohemiam
 etiam complexa, translatus; Ty-
 rociniū Religiosum Brunæ, in
 Moravia exegit: ad quod illiba-
 tum Virginitatis florem attu-

lisse creditus; qui adhuc in Hybernia, ob incredibilem omnis obscœnitatis horrorem, passim Angelus vocaretur, & haberetur. Erat Tyronibus Brunæ, & præ cæteris Campiano, summa in Veneratione effigies Sanctæ Mariæ Majoris, non ita pridem à Sancto Francisco Borgia submissa: hæc in horto domestico obambulanti, visibilis apparens, de morte beata & sanguine pro fide Catholica fundendo, Edmundum præmonuit. A Tyrocinio Viennæ, ac potissimum Pragæ, toto sexennio, Latina, Græca, Rhetorica, ac Philosophiam tradidit; dicens ad Concionem Latinâ Oratione assidue; ab omnibus, atque ab ipso sæpe Imperatore Rudolpho, summa cum voluptate auditus: cui,

& Ar-

& Archiepiscopo Pragenfi, cœterisque Viris Principibus, erat in delicijs. Quanto cum fructu aliquot in Bohemia annos versatus; argumento sit, quòd viri magni pronunciaverint: damnũ quòd Bohemia per Wicleffum Angli virulentam doctrinam, à Joanne Hufs illic profeminatam fecerat; per hunc itidem Anglum, magnam partem, divino consilio resarcitum fuisse. Verũ laboranti Angliæ, Virtus ista à Deo destinabatur. Romam, in Patriam inde mittendus, evocatur. Ferdinandus Archidux Praga Patavium euntem, eodem secum curru vehi voluit; quò cœlestibus ejus colloquijs, inter eà perfrueretur. Romæ, quo die à Gregorio XIII. Anglicana ipsi expeditio demandata; totum il-

lud Regnum, ac Londinum præcipuè, ingenti terræ motu fertur concussum: frementibus sine dubio infernis genijs, & Herculis istius adventuri, famâ primâ contremiscentibus. Iter per Galliam, unâ cum Roberto Personio, pluribusque Sociorum suscipiens; Remis Doctorem Alanum, de Ecclesia Christiana & Anglicana optimè meritum, convenit: confirmatus ab eo, in proposito Patriæ juvandæ; cum multùm ambigeret, utrum utilius Ecclesiæ Catholicæ in Bohemia, an in Anglia, ubi omnia desperata viderentur, operam locaturus esset. Intereâ Edmundi Campiani, & Roberti Personij (qui post Socijs omnibus in Anglia Præfectus) nomen, totam Insulam pervolaverat: vultus

utrius-

utriusque, jussu Reginae ad vivum depicti; ac portis Urbium ad mare obversis, affixi. Illi, ne uterque simul præda illico furenti hosti cederet; cavere volentes, se diviserunt: prior Personius, sub specie Tribuni Militaris, transmittit feliciter; Campianum Audomari præstolatus. Hic mercatorem mentitus, cum famulo Emersono, ejusdem Societatis Alumno, die Divo Joanni Baptistæ natali, quem in expeditionis hujus Præsidem adoptarat, secutus; Dorobernium Angliæ portum appellit, Anno 1580. In patria terra consistens, dum genibus humi, brachijs ad pectus positis, se Deo victimam consecrat; nihil propius, quàm ut à Regijs Exploratoribus agnitus teneretur. *Continuò enim scribit*

ipse de se ad amicum: jussi sumus
 Gubernatori nos sistere; qui pri-
 mo aspectu non falsò conjecit, esse re-
 verà qui eramus: confictis dissimu-
 latis nominibus, fidei causà ali-
 quamdiu Patrià extorres, nunc re-
 duces, ad eam propagandam. Edicit
 ergo, nos esse sub militari presidio
 Londinum traducendos: jàmque ad
 portas palatij, quibus imponeremur
 equi stabant: cum haud scio quo mo-
 tu, in vestigio mutatus est; nisi mei
 Patroni Joannis Baptista, quem in-
 terim enixè petebam; unum mihi
 saltè annum impetraret, quem in
 Religionis obsequium liber insume-
 rem. Exauditus, & viginti præ-
 terea dierum accessione, usque
 ad comprehensionem sui, à Deo
 cumulatus. Londinum die DD.
 Petro & Paulo sacro venienti,
 hospitium idem obtigit nescien-

ti ; quod Robertum antè Per-
 sonium exceperat : inde Insulam
 omnem pervadens ; quid egerit,
 quæ passus sit , quot & quos vi-
 ros in fide vacillantes firmave-
 rit , lapsos erexerit ; in Christi-
 ovile, ex prima etiam nobilita-
 te Hæreticos adduxerit : quis
 nisi ipse si reviviscat , vir diser-
 tissimus, oratione persequatur ?
 Metu percussa Regina, ne Ca-
 tholicâ Religione restitutâ, pri-
 matum Ecclesiæ Anglicanæ Ro-
 mano Pontifici reddere cogere-
 tur ; novum Inquisitorum tri-
 bunal condit, quos pacis conser-
 vatores vocat : huic uni curæ
 intentos, ut in Catholicos & Sa-
 cerdotes inquirent ; hos capiant,
 excrucient, occidant : Licitorum
 & Exploratorum exercitu Re-
 gnum omne ; carceres & erga-

stula, novis etiam passim exædificatis, Catholicis vinculis completa. Campianus, inter multa filiorum Ecclesiæ in Anglia degentium millia, quamvis nec inter Socios suos primus; unus ante omnes, ad vincula & mortem postulatus: quod summum eum Pontificis propugnatorem, imò Dexteram manum prædicarent: præmia in caput viri constituta. Is porrò cum antea minimum semel quotidie, Concionem habere solitus; persecutionis furore crescente, ter etiam diebus singulis, diversis cœtibus & locis dicebat: Sacramentis, alloquijs, omni ope confirmans Catholicos: adeò, ut præter duas plerumque somni horas, vix spatium præceptis Sacerdotum precibus recitandis reperi-

ret.

ret. Extant Epistolæ ejus, altera quam Magistratui Londinensi scripsit; quâ sibi non Rempublicam turbare, aut ullum Politicum ac seculare negotium attingere; verum expugnare hæresim, fidemque Catholicam propagare, unice propositum esse contestatus: altera quam ad R. P. Everardum Mercurianum, Præpositum Generalem S. J. dedit: denique Opusculum, quod se & Martyrio suo dignum, Academicis Angliæ inscripsit; verè aureum, thesauri & Bibliothecæ instar habendum: in quo decem Rationibus vindicat se, ab arrogantia & temeritate, cujus insimulabatur, quòd Ministros Hæreticos unus cunctos ad disputandum evocasset. Hæc in tanto strepitu, metu, ac motu ab eo

exarata; Spiritum Apostolicum, promptique & Divini ingenij illius opes, atque eloquentiam admirandam ostentant copiosè. In casses tandem nefarij Apostatæ, qui decem alios Sacerdotes, Hæreticorum in manus tradiderat; perfidiâ incidit, hunc in modum. Lyfordij in castro Lancastriæ inclusos Catholicos, Sacramentis & Verbo Dei cum refecisset; abitum inde celerem parabat: non enim nisi 24. horarum moræ spatium, indusserat Personius, quasi futurorum præfagus: sed ecce complures undique è vicina Catholica nobilitate adfuerunt, precibus summis instantes; ipsis quoque necessaria salutis præsidia impertiret: Obedientiâ religiosâ prohibitus, resistit constanter; illi famulum & comitem

mitem Patris Emersonum ag-
 gressi, (huic enim tum ad hu-
 militatis exercitium, tum zelum
 & facilitatem Edmundi me-
 tuens, etsi Laico, plenam in eum
 cum imperio potestatem conces-
 serat Perionius) homini persua-
 dent; tridui moram Patri indul-
 geret. Itaque postero die, sacris
 ibidem operanti, Georgius Eliot-
 tus Apostata, perfidiam dissimu-
 lans, Catholicis immixtus assi-
 stit; concionantem de Verbis
 illis Christi: *Jerusalem, Jerusa-
 lem, qua occidis Prophetas, & lapi-
 dis eos qui ad te missi sunt,* audit:
 ac paulò post centum stipatus
 militibus, manus illi injecturus,
 in domum irruit. Campianus se
 peti certus, volebat quò reliqui
 salvi essent, protinus se capti-
 vum tradere: sed non permissus,

toto quidem illo die, incaſsum
quæſitus eſt; altero tamen, in-
tra perfoſſum parietis cujus-
dam cavum deprehensus, extra-
hitur: in comitatu 200. Equi-
tum, cum Socijs Londinum du-
citur; equo impositus, revinctis
poſt tergum manibus, pedibus
ſub equi ventre colligatis, pileo
causâ ipſius, ut olim Chriſto, ad-
ſcriptâ: *Edmundus Campianus Fe-
ſuita Seditioſus*. Turri inclufus,
& ſubterraneo ſpecu ſepultus:
tam cœco, ut nihil auræ lucisq;
admitteret; tam arcto & depref-
ſo, ut erigere ſe in pedes, aut
porrectus jacere non poſſet. Qua-
triduo elapſo, producitur: mul-
ta à Magiſtratibus, multa à Re-
gina ipſa rogatur: offerente illi
Elifabethâ vitam, libertatem,
divitias, Cantuariæ Episcopa-
tum;

tum; si primatum Ecclesiæ ipsi attribueret. Quæ cùm is fortiter despicit; ad tormenta rapitur: semel atque iterum equuleo, crudelissimum carnificinæ genus, distenditur immaniter: animum tam Christianum in cruciatibus præferens; ut nulla ejus vox alia, præter JESUM & MARIAM, piaque colloquia, audiretur. Bis excruciato, ac vix semivivo, disputationem de fide publicam, tamquam ab eo prius provocati, offerre non erubescunt: vel deridendi hominis causâ, vel tormentis fracti facilius expugnandi. Heros invictus, arenam qualem numquam antea, nec qua sibi pulchriorem optare potuisset, nactus; plurimos, inter quos & Witakerum Hæreticorum in Anglia Coryphæum, unus repetitâ sæpius disceptatione, confutat &

convincit: iniquissimis licet conditionibus, quatuor disputaretur; nihil enim loqui, præterquam objectis respondere, permittebatur: testati sunt qui interfuerunt, à nemine mortalium plenius ipsis satisfieri potuisse. Rem totam in turri Londinensi peractam, Catholicus, quem Deus præsentem esse voluit, unà cum reliquis gestis Campiani, scriptam reliquit. A Disputatione, Laureæ loco, tertium & quartum ad eqvulei torturam traducitur; tam immanem, ut se in ea moriturum omnino credidisse confessus sit. Inde ad ergastulum suum manibus alienis reportatus; ibidem novis & novis subinde cruciatibus, dirissimè sæpius, clam etiam ut fertur, excarnificatus. Dum tandem in Aula Westmonasteriensis, à Duo decim viris, secus ut facti eorum

non-

nonnulli, facere non ausis, reus læsæ Majestatis, & seditionis in Reginam motæ pronuntiatus; perduellium morte à supremo Judice condemnatus est. Quam Sententiam, ipso festo Sancti Edmundi Martyris & Regis Angliæ, 20. Novembris excipiens Edmundus, *Te DEUM laudamus*, altâ voce concinuit: cùm interim Judici, ô rem mirabilem! pronuncianti, chirotheca sanguine manaret, digitis & annulo cruentatis; néque ullâ diligentîâ sanguis aut abstergi, aut sisti, dum actio cruenta duraret, posset. Damnati cum eo P. Alexander Briantus, ex eadem Societate, & vir fortissimus Radulphus Schervinus Presbyter secularis, qui auditâ mortis sententiâ: *hec inquit dies quam fecit Dominus, exultemus, &c.* Priusquam reduce-

rentur ad carcerem; Campianus
 populum allocutus: *Audistis ait,*
nos tamquam reos lese Majestatis
condemnari; sed quam id merito
factum sit, vos ipsi cogitate: nam
si eam lasissem, nequaquam mihi il-
la, & Senatus Regius, non modo vi-
tam, sed libertatem etiam, & rerum
omnium copiam tam liberaliter ob-
tulissent; si modo ipsis in rebus non
adeo magnis obsecundassem: imò e-
tiam hic ipse Arcis Prefectus, qui mi-
hi adstat ad latus, hec eadem &
& majora promisit; si vel semel tan-
tum cum hereticis templum adijss-
sem. Itaque viri optimi non per-
duellio, sed vere Religionis zelus, ad
hoc capitis discrimen nos adduxit.
Cæterum à Deo immortalis precor;
ut tum Judices, tum accusatores, &
reliquis omnes Adversarij, in die se-
verissimi judicij, mitiorem audiant

sententiam. Certum est ei jam etiam
 condemnato, vitam, & nescio quæ
 præmia proposita, si vel Calvinia-
 nam amplecteretur doctrinam; vel
 aliquid saltem illi à se deferri indi-
 caret: quod per sororem etiam, tri-
 duo ante mortem fratri charissimo
 valedicentem, ipsi significârunt;
 æquitatem hominum, & sectæ
 suæ veritatem stabilire studentium
 ingenium, tantò ampliùs deridenti.
 Ergo Calendis Decembribus, Anno
 1581. Feriâ sextâ, tres Invictissimi
 Athletæ producuntur: ad primum
 populi conspectum: *DEUS vos sal-*
vet, inquit Campianus, *DEUS vo-*
bis benedicat, & vos omnes efficiat
Catholicos. Orati vimineæ injecti: in
 qua constrictus arctissimè supinus
 jacebat, luto ecenôque spurcissimè
 defœdatus Edmundus; reliqui huic
 superinjecti: per urbis plateas, ali-

quot passuum millia, ad Tiburnum, (Locus est fontibus plectendis destinatus) raptantur. Ibi vinculis solutus, currum ex quo suspendendus, Campianus conscendit: ab ijs verbis Apostoli: *Spectaculum facti sumus Mundo Angelis & Homini- bus*, exorsus; multa de fide Catholica tenenda, de sua sociorumque innocentia dixit; omnibus à quibus læsus fuisset, ex animo condonavit: ut Catholici pro se Symbolum Apostolorum semel recitarent petivit. Cùm inter alia urgeretur, ut de Pij V. in Reginam lata excommunicatione quid sentiret, explicaret; importunitati eorum minimè satisfecit: jussus denique veniam læsæ Regiæ Majestatis postulare; negavit, se in eam quidquam deliquisse: pro Regiæ porro salute & orasse, & etiamnum orare velle:

moxque cœpit ardentibus pro animæ
 illius salute, preces admirantibus
 omnibus, DEO offerre: inter-
 pellatus, quânam Reginam in-
 telligeret: *Elisabetham* ait, *puto*
vestram, atque meam Reginam.
 Quibus dictis, subducto carro, ali-
 quamdiu pendulus; mox quadra-
 tim dissectus est; & caput ejus re-
 sectum: viscera, ne prout senten-
 tia ferebat, lacerarentur, & cre-
 marentur; viri multi & primarij,
 obstitere: sed & populi vis infini-
 ta præsens, non sine gemitu & plan-
 ctu incredibili, crudelitatem in vi-
 rum tantum exercitam spectabat.
 Mors illius Hæreticorum etiam te-
 stimonio, Ecclesiæ Catholicæ ma-
 gis proficua fuit; quàm si 100.
 annos victurus fuisset: innumeris
 fidelium, nec paucis Martyrum, non
 in Anglia & Europa tantum, sed

extrema quoque in Japonia & America, eandem amplificâsse credita Unde cautè Jo. Bodinus A Catholicus, qui ijs diebus cum Duce Andegavensi Londini agebat; ait se oratione habitâ ad Reginam & Optimates ac Senatores, vim omnem procul habendam censuisse: *cum de Campiano, inquit Jesuita de que Catholicis questiones Capitales haberentur.* D. Bernardinus de Mendoza, Legatus per id tempus Regis Hispaniæ, apud Elisabetham, triduo post mortem Campiani, Londino in Hispaniam Sorori suæ D. Añæ in hanc scribere sententiã non dubitavit: *Quotquot hic sum, & ego, in particulari fidem facere possum, attento modo quo passus est Campianus, illum adnumerandum esse Illustrioribus Martyribus in Ecclesia DEI; & pro tali potest illum habere sua Religio &c.* Reliquiæ ex cor-

pore illius, tanto studio exambita; ut complures, bonorum omnium jacturâ, & plurium annorum carceribus eas mercati sint: alij minutam earum portionem vicenis, 30, & pluribus aureis redemerint. Prodigijs etiam Virum Inclytum, quæ non referimus, Divinæ bonitati placuit illustrare: non pauci, in quibus Serenissimi Principes, eum ut Martyrem & Sanctum privatâ pietate venerati. Præ omnibus P. Robertus Personius, redemerat magno pretio à carnificibus fidiculas, quibus Sodalis & amicus dulcissimus, in eqvuleo exeruciatus fuerat; totisque 28. annis, eas thesauri loco circumtulit; labores ijs suos in Anglia, solari & confortare solitus: demùm Romæ, morte instante, ijsdem collum sibi obvolvi expetijt; osculo prius Religioso

honoratis: multum dolens, quod non pari cum tam charo Socio defungi morte licuisset.


Hæc pauca ex plurimis, quæ ple-
raq; æquales & Condiscipuli Cam-
piani, de vita & Martyrio illius
prodiderunt, fide dignissima
retulisse sufficiat.


F I N I S.



DEPARTMENT OF LIBRARY

2509-1961





703802

703802

